Rationē ſimilitudinis idem explicat, quod ſicut terra, quæ A imbre non perfunditur, non etiam veſtitur herbis, non venuſtatur floribus, non abndat meſſe: ſic anima gratia carens, non operitur virtutibus, non cogitat de cœleſtibus, non inſiſtit utilibus. Mox ſubdit, jam nos nec velle bonum poſſe, niſi gratia illius adjuvemur, *apud quem greſſus hominis diriguntur* a, à quo *præparatur voluntas* b, qui *operatur in nobis velle, & perficere* c, cujus *gratia ſalvantur per finem* d, ſine quo *nihil poſſumus facere* e, qui *niſi incrementum det, nihil eſt, neque qui plantat, neque qui rigat* f; denique qui eligit, & ponit unum quemque, ut eat, & fructum afferat g. Sicut ſe illuminare de ſe nullus poteſt, ita ſe ſatiare de ſe non poteſt, ſed de fonte vitæ, qui eſt apud Deum, ut ait Auguſtinus h, Pinguefactum deliciarum humore ſolum, agerve animæ ſpiritualiter ſterilis eſt: *nec* enim *invenitur vera ſapientia in terra ſuaviter viventium* i, ut denuo philoſophatur hoc ipſo etiam loco noſtro citato, Gregorius K. Abundat mare, inundat, copioſum eſt, fluctuat, ſed amarum eſt. Diſcreta eſt aqua, apparuit arida anima mea, irriga eam, inquit idem Auguſtinus hoc loco. Indicat cœleſti aqua non irrigari eum qui B non ſit aridus, & privatus amara hujus mundi aquas: & alludit ad ſeparationem aquarum initio factam l. Alibi m, præterea docet, quod *convertit Dominus ex Baſan* n, cujus nominis etymon ſit ſiccitas, ideſt, ex inopia. Nam qui ſibi videntur, inquit, copioſi, quum ſint famelici, pleni, quum ſint inaniſſimi, non convertuntur; tandem de anima ſicca hoc pacto hic eſſe ſermonem affirmat. Ægyptus Nili abundans aquis, deſtituebatur cœleſtibus promiſſa terra de cœlo illas expectabat o, quia montuoſa. Cineralibus feriis aſperſi cineribus conſecratis videmur Deo confiteri, *animam noſtram ſicut terram eſſe ſine aqua*, & eidem Deo ſuggerere, ut *meminerit, quia pulvis ſumus* p: quia nulla terra tam ſicca, quam pulvis, ut ait hoc loco Auguſtinus: & ab eodem poſtulare, ut idem Doctor notat, ut nos compluat, & confirmet, ne ſimus pulvis, quem *projicit ventus à facie terræ* q. Vocat Bernardus r, miſerabilem hoc loco Prophetæ conqueſtionem de ſeipſo: quoniam aquæ inopia non modo aridum, ſed & ſordidum facit, dum non eſt, quo laveris; & ſemen cadens ſuper petram, natum areſcit, quam *non habet humorem* ſ. Importunis velu- C ti, querulíſque precibus veteres illis Patres flagitantes adventum Chriſti utebantur hac ipſa ſimilitudine t, *Rorate cœli deſuper; & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Inter omnes maxime ſitiebat Maria adventum iſtius, qui & radix extitit de hac terra ſitienti u. Juxta tropologiam Pepinus, quoniam amans efficitur ſimilis, ac unum quid cum re amata, oſtendit avari animam terræ ſimilem cenſeri, poſſeque id affirmare de illa, eſſe videlicet ſicut terram. Nam avari anima firma, & ſolida eſt, propter obſtinationem, ita ut illam compellet Propheta x, ter ad audiendum Dei ſermonem: gravis ac deorſum ſemper tendens uſque ad centrum, ob affectum ad terrena ſemper depreſſum: inſatiabili, quemadmodum terra numquam *ſatiatur aqua* y, ſemperque *dicens, affer, affer* z, & aperto ore *abſorbens fluvium* a. Subjicit idem Auctor comparationem luxurioſi cum aqua, & ſuperi cum aere; ſed ad rem noſtram non facit. Sancta quædam avaritia, & commendatione digna rerum divinarum ſitis, eſurieſque, quam & inter beatitudines Chriſtus collavit b. Jactura primogenituræ temporalis ferenda, exemplo Eſau c, in meliorem partem accepto, ne tali fame moriamur: amittendo regnum temporale, cum Lyſimaco d, ne ſiti huiuſcemodi pereamus. *Exardeſcens contra impium ſitis* e, ſimiliſque fami caninæ f, eſt *audiendi verbi Dei* g, quum propter nimiam ingurgitatione rerum temporalium, & hæ ipſæ faſtidiuntur, novis concupitis magis ac magis, & ſpiritualium facultas denegatur, copiaque tanta, quanta alio tempore oblata eſt, ſed neglecta. Infelix epulo, nec aquæ guttam impetrare in inferno potuit h, ſed *anima ejus calida, quaſi ignis ardens non eſt extincta, donec glutiretur* i. (Legunt enim LXX. paſſivè ἕως ἂν καταποθῇ quod nos activè) ſed ne tunc quidem. In fine eſt סלה *ſelach*, & διάψαλμα & quidem ultimum totius Pſalterii ex 79. quæ recenſuit Beda in catalogo. Vertit Hieronymus, *ſemper* Paraphraſtes; *in æternum*, alii aliter, ut alias diximus.

a pſ.36.23 b Auguſt. in. ſæpe. c Philip.2 13 d Epheſ.2.8 e Joan.15.5 f 1.Cor.3.7 g Joan.15.16 h 13. confeſſ. cap.16 i Job.28.13 k 18. Moral. c.24. vel 26 l Geneſ.1.6 m in pſ.67 n pſ.67.23 Etymon Baſſan. o Deut.11 10 p pſ.102.14 q pſ.1.4 r ſerm. de nimia quadam fallacia præſentis vitæ; ſ Luc.8.6 t Eſa.45.8 u cap.53.2 x Jer.22.29 y Prov.30.16 z ibid.v.15. a Apoc.12.15 b Matt.5.6 c Gen.25.33 d Plut. in apo. Rhodig. l.9.cap.13 e Job.18.9 f pſ.58.7.15 g Amos.8.11 h Luc.16.24 25.26 i Eccl.23.21

Verſ.7.) Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam à me & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Ardor deſiderii in modum ſitibundæ præ æſtu terræ, atque vitæ fere deficientis periculum, jam jamque parato morituro foſſa, facit, ut David cito adeſſe flagitet auxilium divinum, ac ne faciem ſuam Deus ab ipſo avertat, vel obſtruat fontem vitalem favoris, benignitatis, beneficentiæ ſuæ. Quæ oratio probe congruit pœnitenti, vim mali ſui ſentientis, nec dilationem remedii, atque reconciliationis ferentis, ne ſubito contingat mori, & animam mitti in gehennam. Auguſtinus, Gregorius; Innocentius, Caſſiodorus, alii, dilatam docent gratiam, ut ſitiretur, ſeu deſideraretur magis: defeciſſe ſpiritum ſuperbiæ, ac ut eſt in alio pſalmo K, *in pulverem ſuum reverſum hominem*, emiſſoque ſpiritu Dei cupere, recreari, ut quod ſuperbo juſte negabatur, humili miſericorditer concedatur: niſi Deus convertat faciem ſuam ad exaudiendum, fore ut peccator in profundum malorum veniat, & contemnat l, ſpem abjiciat, & ſine ſpe veniæ habentis effuſis proponat ſibi peccandi licentiam Hilarius accipit ut orationem deſiderantis abire ex hac vita, *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto* m, *liberari de corpore mortis hujus* n, in hoc veteri tabernaculo congemiſcentis, deſiderantiſque non mitti in locum pęnalem inferiorum, ſcilicet non tantum pro damnatis, qui proprie pęnam luunt, ſed etiam pro juſtis adhuc in limbi carcere, donec veniret Chriſtus, quam idem Hilarius faciem Dei hic interpretatur; qui Chriſtus ibi detentos liberaret, neceſſitatem cæteris eodem deſcendendi tolleret, cęlum animabus juſtis patefaceret; reſurrectionem corporibus tempore ſuo concederet. De qua ſpe reſurrectionis vult ſequenti verſu ſermonem eſſe. Apte uſurpatur hæc oratio à moribundo; vel etiam à quolibet, qui de ſuæ ſe mortis hora incertum cogitat: *nec* ideo *tardare* vult *converti ad Dominum, & differre de die in diem* o. Poteſt & intelligi Chriſtum ſic oraſſe præſertim in cruce, quando commendavit in manus Patris animam ſuam p: præterea ut aliquo ſigno declararet ipſius innocentiam, ne ſimilis haberetur, ut hactenus, deſcendentibus in lacum ipſum inferni damnatorum tamquam maximè impius.

Senſus loci. K pſ.103.29 l Prov.18.3 m Philip.1 23 n Rom.7.24 o Eccl.5.11 p Luc.23.46

Velociter exaudi me Domine) Hieronymus, Auguſtinus, vetus Pſalterium, *cito*, Chaldaicè, *feſtina*, quod eſt סרהב *ſarchev*, aut סרהיא *ſarhi*: Hebraicè מהר *maher* verbum pro adverbio. Feſtinationem, velocitatem, celeritatem iſtam exauditionis Davidis aliis in pſalmis q, ſæpe poſtulavit. Cupiditati ipſa celeritas tarda eſt, ut ex cujuſdam ſapientis ſententia recitat Gregorius: *ſpes dilata affligit animam* r: ſerum poſt bellum eſt auxilium κατὰ τὸν πόλεμον συμμαχία, vel poſt illud machinæ: & in bello tarditas perinde eſt, ac ſi nihil omnino ſit factum, quod fruſtra factum eſt: item medicina mortuorum ſera eſt: nemo aquas infundit in cineres, ideſt, ædibus jam redactis in cineres. Promtus quidem eſt exaudiendum Deus, & clamantes pollicetur ſe exauditurum ſ differt nihilominus exauditionis effectum, ut melius cognoſcamus infirmitatē D noſtram, & indigentiam, auxiliique ipſius neceſſitatem: ut ſpes, ac fiducia incrementum capiat, & ſciamus, quod *ſi moram faciat Deus expectari debet, quia moram non facit* (etiamſi ſecus videatur) ſed *veniens veniet, & non tardabit* t, *adjutor in opportunitatibus* u, *& in die ſalutis* quem conſtituit tamquam opportuniorem) *adjuvans* x: ut accidit Chananææ y, Regulo z, ſororibus Lazari a, Mariæ exponenti defectum vini b; ut quodammodo colloquiis noſtris longioribus oblectet ſeipſum: ut quod ore petimus, corde ipſo melius diſpoſito petamus, & inveniamus cor noſtrum in oratione noſtra, ſicut faciebat David c. *Spelunca latronum*, vel ut reddunt LXX. *hyanæ*, *eſt domus hominis invocantis nomen Domini* d, ore ſolo, non corde, & ſic furantis honorem Deo debitum, & fortaſſe machinantis crimen aliquod: ſicut hyęna nomen hominis, quod non intelligit, profert, & illo compellans hominem, ipſum interficit. Recte demonſtrat Pepinus non eſſe ſemper ſignum ſalutare quod cito Deus exaudiat; nec oppoſitum, quod non tam cito, vel etiam quod omnino deneget. Declarat præterea quomodo pro nobis orans beatus petat velociter exaudiri; nec non anima in purgatorio pro ſeipſa poſtulans liberationem à pęnis vivari ſuffragiis viventium,

q pſ.35.3. pſ. 39.18. pſ.54 pſ.68.18. pſ. 78.8. pſ.101 3 Cupiditati celeritas tarda. r Prov.13.12 ſ pſ.50.15 t Abac.2.3 u pſ.45.2 x Eſa 49.8 y Matt.15 22. & ſeqq. z Joan.4.46. & ſeqq. a cap.11.1. & ſeqq. b cap.2.3. & ſeqq. c 2.Reg.7 27 d Jer.7.11

ventium, quamprimum admitti ad viſionem Dei; quamvis oratio ipſius abſq; merito ſit, quia extra ſtatum, & locum merendi. Velociter exaudiri non orat, qui non eſt velox, ac diligens in oratione: cum qua velociter conjungi debet velocitas bona, & vitari mala, de quibus Ayguanus, velocitatem vocans bonam in increpanda malitia; in executione boni operis; in audienda ſapientia; & malā in iraſcendo, in inordinate loquendo, in injuſte nocendo. Velocitas hic à Deo flagitatur in exaudiendo & opitulando.

Defecit ſpiritus meus) Defectum hunc Paraphraſtes intellexit præ deſiderii vehementia, *deſideravit te ſpiritus meus, & mens*, aut *anima mea*. Hoc alibi a, valet deficere in ſalutare Dei animam: quodque defectio teneat quempiam b, & de amoris vehemētia declarat hunc locum Richard. Victorinus c. Alii exponunt de defectu vitæ, aut anhelitus, ac reſpirationis, vel de aliquo deliquio & exanimatione: quemadmodum in pſ. 141. d; *in deficiendo ex me ſpiritum meum*. Ibi docui, quę huc etiam ſpectant, & hic paullo ante de myſticè ſumto non tantum malo, quum deficit ſpiritalis vita, ut Arnobio placet, ſed etiam bono defectū ſpiritus ſuperbiā, ac totius veteris hominis. Oratio humiliantis ſe exauditur e, ut de oratione quoque Achab Deus ipſe teſtificatus eſt f, & Chriſtus de oratione publicani g. *Deficere* item dicitur *in dolore vitæ* h; *deficere* quiſpiam *in increpationibus* i, *deficere virtus* K, *dies* l, *anni* m: præterea *cor*, & *caro* n iterum *ſpiritus* o, *anima* p, *oculi* q: ad hæc *deficere* aliquis *in ira Dei* r. Per nimias tribulationes, ait Caſſiodor. contingere ſolere defectum ſpiritus, his qui paſſionum diverſarum pondere pręgravantur. Quod confirmat ex pſ. 37. * *cor meum conturbatum eſt in me, & dereliquit me fortitudo mea (dereliquit me virtus mea.)* Grevætus ſ, triplicem aſſignat defectum bonum animę juxta triplicem ejuſdem exceſſum, ex magnitudine devotionis, admirationis exultationis. Defectus iſte, ut dixi, deterius quid importat, atque magni, & citi auxilii divini neceſſitatem. Bonus præterea defectus eſt ex timore divini judicii; ut Ambroſius t, explicat, in quo examinanda veritas potius eſt, quam miſericordia conferenda.

a pſ.118.81 b verſ.53. c in pſ.1.8. d verſ.4] e pſ.101.18. Eccl.35.21 Judith.9.16. f 3.Reg.21.29 g Luc.18.13 h pſ.30.11 i pſ.38.11. K pſ.70.9 l pſ.77.33 pſ.89.9 m pſ.101.28. n pſ.72.26. o pſ.72.4. p pſ.73.3. pſ.106.5. q pſ.118.82 123 r pſ.89.7.9 * verſ.11 ſ ſerm.318. t in pſ.36

Non avertas faciem tuam à me. Hieron., *ne abſcondas faciem tuam à me*: quod ex alio Græco interprete Chryſoſt. refert μὴ κρύψῃς: Chaldaicè, *ne amoveas majeſtatem tuam à me*. De iſta phraſi crebra incipit prioribus u, pſalmis mentio. Optime Gregor. declarat, quod ſolent Do- C mini irati ab his, quibus offenſi ſunt ſervis oculos avertere: & ſi quando illi pro gratia ſupplicaverint, in partem aliam faciem declinare: & quia recto eos intuitu conſpicere nequeunt, animorum ſuorum motus in ipſo corporis habitu oſtendere. Deum quoq; à delinquentibus averti, quia turpitudinem eorum ſereno vultu inſpicere dedignatur: ſed qui abjicit delinquentem, converti ad pœnitentem; vocare etiam averſos; donare peccata converſis; hortari pigros: conſolari afflictos; docere ſtudioſos; adjuvare dimicantes: confirmare laborantes: exaudire corde clamantes: denique dicere, *Convertimini * ad me, & ego convertar ad vos*. Bruno Carthuſianus interpretatur pulchritudinem DEI, quia pulchritudo in facie notatur: orari autem Deum, ne auferat, ſive ut reſtituat virtutes, quæ pulchram reddunt animam.

u pſ.12.pſ.c 21.24. pſ.26. 9. pſ.24.8 pſ. 43.24. pſ.50. 11. pſ.78.18. pſ.87.15. pſ. 101.3. 29. pſ. 131.109 * Zachar.1.3

Et ſimilis ero deſcendentibus in lacum.] Hieron., *& comparabor*: Paraphraſtes, *ne ſimilis ſiam his, qui deſcendunt in domum*, vel *puteum ſepulchri*. Ideſt, ſi repuleris orationem meam, avertendo faciem tuam, comparabor, inquit Trevetus, deſcendentibus in inferiorem partem carceris, D eroque miſer, ſicut illi, qui ibi detinentur. Intelligunt paſſim alii de foſſa, quam vocat βόθρον Apollinarius, ſive ut ſepulchrum eſt, ſive ut alius depreſſus, & cavus locus, in quem quis vel cadens interit, vel mortuus immittitur, & poteſt eſſe non modo ſepulchrum, ſed pro ignobili cadavere quælibet fovea: præterea particulam &, exponunt per, *quia*, quod alias occurrit, ſæpe, aut, *alioqui*, vel, *non*, *nempe quia*, *& alioqui*, *& non*, *ſimilis ero deſcendentibus in lacum*, *ſi averteris faciem tuam à me*; *non avertas faciem tuam à me alioqui ero, quia ero ſimilis, ſi avertes*; *non ero, ſi non avertes.* Ex profanis quoque ſcriptoribus Quintilianus x uſurpavit eo modo particulam, &. Has primum, ait, nimirum nutrices, audiet puer: harum verba effingere imitando conabitur: & natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: id. eſt, *etenim*, vel, *quia*, &c. Poſſet item *lacus* pro ſubterraneo ſumi loco, in quem deſcendebant mortuorum animæ; Atque ſic metuere ſignificabit Propheta, vel mortem naturalem, vel civilem carcere damnatorum; ac ne A redigeretur in eas anguſtias, ob perſecutionem aut Saulis aut Abſalonis, ut ſibi vivendum eſſet in ſpelunca. Plane ſimilis 27. pſalmi y ſententia; *ad te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me, neq; taceas à me; & aſſimilabor deſcendentibus in lacum*. Ubi locum utrumq; comparans docui veritatē rei contineri in ipſa particula ſimilitudinis, ideſt, ne revera deſcendat Propheta in lacum. Quare non ita commode Arnobius exponit de eo, cui deficiat ſpiritalis vita, & ſimilis fiat morte damnatis, quia peccavit, ſed non particeps, quoniam ad DEI miſericordiam convolavit. De myſtica lacus notione hic, atque alibi dictum ſatis. Non placet etiam allegoria Pepini de Chriſto, ut Patrem tempore paſſionis rogaverit, ne averteret ab anima ſua communicationem viſionis eſſentiæ ſuæ; quoniam ſic ſimilis fuiſſet tempore tridui, deſcendentibus in lacum inferni, ſive in limbum Patrum. Non decebat id, ut recte idem Auctor ſubdit. Sed nec decet vel illud ſuſpicari, Chriſtum rogaviſſe. Placent, quæ adjicit poſt innocentium, ſecundùm tropologiam de lacu culpæ pręſentis vitę, gehennæ; ut ſit primus lacus miſeriæ cum luto fæcis z, in quem *deſcendentes, non expectant veritatem* a, nec libenter au- B diunt: ſecundus inferios b cœli comparatione, & ob ignorantiam, erroremq; umbroſus, lutoſus, & cœnoſus, propter ſordes vitiorum, periculoſus, quia leonibus d, & aliis feris plenus: tertius, in quo *congregantur congregatione unius faſcis damnati* e, & in cujus profundum Lucifer detractus eſt f, ubi oſcuritas; fœtor, exeundi facultas nulla. Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis, cum Noe obtulit ſacrificium poſt diluvium, *quaſi eo ſacrificio teter ex hominum merſorū peccatis odor fugatus fuiſſet. Ceterum Innocentius rectè admonet, Prophetam noſtrū hic, ac deinceps exprimendo illa, quæ poſtulat, poſtulandi cauſſas æxponere. Nam cùm poſtulavit, ne averteret Deus à ſe faciam ſuam, ſubjunxit, quoniam ſi averteris, *ſimilis ero deſcendentibus in lacum*.

x 1. inſt. ir y verſ.1 Pepini allegoria minus probabilis. Tropologia z pſ.39.2. a Eſa.38.18 b pſ 87.7 c Jerem.38.6 d Dan.6.7 e Eſa.24.22. f cap.24.25 * Gen.8.21.

Verſ.8.) Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperavi.

C Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Quod proxime ante petit, ut Deus velociter exaudiret, quia deficiebat ſpiritus ſuus, & ut non averteret faciem, ne *ſimilis eſſet deſcendentibus in lacum*; ideſt, in latibulum oſcurum, aliis verbis repetit. Nam petit *auditui ſuo dari gaudium, & lætitiam* g, affertique fauſtum ſibi de deliberatione nuntium, idque mane, ideſt, quamprimum, ac illato veluti novo lumine, & quaſi nova orta die h. Præterea percupit notam ſibi viam fieri, qua tuto valeat ambulare, atque perſecutores evadere qui obſervant, & obſident omnes auditus. Cauſſam vero reddit, quare tam libere, ac fidenter hæc à Deo flagitet, quoniam omni alia depoſita ſpe, & cogitatione humani auxilii, totam in DEUM ſpem conjecerit, cogitationemq; omnem in ipſum converterit. Moraliter oratio eſt, ut Caſſiodor. obſervat, pro lumine gratiæ juſtificantis, & tranſlatione de tenebris peccati ad lucem juſtitiæ, & ut detur in corde audire, ac in ſpiritu, quod *lucis filius* i, ſit, & dicentem Deum, *Salus* K *tua ego ſum: remittuntur* l *tibi peccata tua; vade in pace*. Ad hæc ut recuperata juſtitia, remiſſione q; peccatorum, ne denuo repetantur priora peccata, doceatur via, & ratio certa conſervandi juſtitiam, & ambulandi per viam mandatorum DEI, atque ad eum perveniendi. Ipſam juſtificationem per accepta à Deo auxilia gratiæ, peccator mereri poteſt de congruo incrementū juſtitiæ, qui jam juſtus eſt de condigno: perſeverantiam priore modo. Hilarius; Auguſt., Gregor., alii videntur anagogen tradere de mane reſurrectionis, in quo mane, dieque illa una *in atriis Domini* m, abſque termino *annuntiabimus miſericordiam Dei* n, & *aſtabimus Deo, juxta quem non habitabit malignus* o, & *abereptis de poteſtate tenebrarum, tranſlatiſque in regnum filii dilectionis DEI* p, omnis effugiet caligo tenebrarum, omnis evaneſcet ignorantiæ fumus, omnis diſſipabitur tentationis nebula, luceſcet juſtorum felicitas *fulgebuntque juſti ſicut Sol in regno Patris eorum* q. Via illuc perveniendi, & audiendi miſericordiā illam, quæ eſt *ab æterno, & uſque in æternum* r, eſt juſtitia, ſeu via juſtificationum, quam Deus inſtruit ſ, *dirigens in conſpectu ſuo viam noſtram* t, & di-

Senſus loci. g pſ.50.10 h Eſth.8.16. i Epheſ 5.8 1. Theſſ.5.5 k pſ.34.3 l Luc.7.48. m pſ.83.3.11 n pſ.61.3. o pſ.5.5 p Coloſſ.1.13 q Mat.13.43 r pſ.102.17 ſ pſ.118.27. t pſ.5.9.

rigens in ſemitam rectam, propter inimicos a, qui juxta eam, & in ea ponunt laqueum b, & ſcandalum c. Poſſet quoque allegoria ſumi de Chriſto, ut etiam Pepinus obſervavit, citans Petrum de Palude, qui oret pro ſua reſurrectione, atq; ubi ſibi notas faciat Pater vias vitæ d; quoniam totus ab ipſo pendeat, & abſq; ulla hæſitatione hoc expectet.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam.) Hieron., & Auguſt. in ſpeculo, fac me audire mane, &c. בבקר השמיעני haſmihheni vabboKer. Eadem phraſi dicitur pſalmo 65. e, auditam facite vocem laudis ejus, השמיעו haſmihhu, & ibi vertit quoque Hieron. auditam facite. Græcè verò eſt ἀκουςὸν ἐμέ hoc loco ἀκουςὸν ποίησον. Quo circa non ſatis litteraliter acciperetur, ut epithetum miſericordiæ, quod audita dicatur, quemadmodum innuit Caſſiodorus, quia tot Orbe notiſſima, ille ſcilicet, quam DEUS ſupplicantibus præſtat, indulget afflictis. Auditã fac miſericordiam, idem eſt, atque fac ut audiam. Paullo melior expoſitio R. Kimhi & Aben-Ezra, ut deſignetur mane proſperum tempus, quod optet Propheta concedi ſibi per Dei miſericordiam, & quaſi placido datur reſponſo ad orationem tali præcipuè tempore fieri ſolitam, eum in quo eſt, in meliorem ſtatum commutari: & novum inſtitutum, negotiumq; ſecum inchoare, ut ſolent hominum actiones omnes illo tempore auſpicari. Mane τὸ πρωΐ, ſeu ἐξ ὄρθρου ex diluculo, ut recitat Chryſoſt. juxta translationem aliam; aut ἐξ ἠοῦς ut vertit Apollinarius, ex aurora, & בבקר babboKer, plurimi declarant mature, propere, ſubito, cito, celeriter, velociter, quamprimum, primo quoque tempore ſine retardatione, dilatione, cunctatione, mora. Idipſum pluribus exemplis aliis alibi f demonſtravi. Myſticè, præter tempus reſurrectionis, & beatitudinis, & præter lumen gratiæ, ac juſtificationis, de incarnatione interpretatur Ayguanus hoc mane, propter novum lumen Chriſti, quod indicavit claritas circumfulgens eo nato paſtores g, & Eſaias h vaticinatus eſt, fore, ut erumperet quaſi mane hoc lumen noſtrum; & præceſſit figura in lege, quæ tali tempore data eſt cum fulguribus i: & in manna, quod erat rori ſimile k, dici q; potuit Chriſtus miſericordia collata mundo, quaſi ros mane pertranſiens l; quique tantopere deſideratus eſt à Patribus orantibus, ut rorarent cæli deſuper & nubes pluerent juſtum m, ac eſſet brachium in manu n; DEUS vero ipſe, ſive Chriſtus invitabat, ut mane conſurgerent ad ſe o, atque pollicitus eſt qui mane vigilarent ad eum, inventuros eſſe p. Obſervat Pepinus auditam fieri à Deo miſericordiam hominibus mane, quos vocat ad ſe inde à prima ætate, & mane ad ſe facit vigilare q, atque illis quaſi diluculũ præparatus egreſſus (divinæ miſericordiæ) & venit quaſi imber temporaneus, & ſerotinus, quaſi nubes matutina, & ros mane pertranſiens ſ. Exempla profert in Joanne Baptiſta, Nicolao Dominico. Addi poteſt Thomas Aquinas, & Ludovicus Gonzaga noſter. Ejuſdem rei figuram agnoſcit in manna quod matutino tempore colligebatur t. Idem ait, eſſe de illis, qui rapiuntur mature, ne malitia mutet intellectum eorum u, poſſuntque illud uſurpare: exaltabo mane miſericordiam tuam x, quia factus es ſuſceptor meus in die tribulationis meæ, ideſt, mortis. Subdit de meridie, & veſpere, ut ſumuntur pro aliis ætatibus virili, & ſenectutis: triplici hoc tempore narrare, & annuntiare oportere y peccatoribus paratum DEUM eſſe, ut eos ſuſcipiat. Poteſt demum oratio hæc uſurpari à quolibet dum ſurgit mane, ut imploret miſericordiã DEI ad rectè inchoanda illius diei opera, & ad ambulandum per viam legis, ac voluntatis divinæ. Porrò Gregor. occurrens objectioni, quo pacto beatitudo, quam vocabulo mane innui vult, appelletur miſericordia, quum dicatur meritis reddi, ſive ſecundùm opera, ait non reddi propter opera, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis z, nullus ei æquatur labor, nulla opera comparantur, ſed ſecundùm opera, ut nimirum, cujus apparuerint bona, ejus ſit & retributio glorioſa. Ubi cave exiſtimes, juſti opera non poſſe eſſe vere, ac proprie meritoria ob dignitatem, quam habent ex gratia, licet phyſicè & ſecundùm ſubſtantiam, ut loquuntur, hujuſcemodi proportionem non habeant. Subdit idem aptiorem ſolutionem, ex hoc quoque fœlicitatem jure poſſe nominari miſericordiã, quia pro illis operibus datur, quæ ſine præventu miſericordiæ Dei nemo aſſequitur, quemadmodum David noſter cecinit a, Deus meus miſericordia ejus præveniet me. Tandem conſtare colligit, quibus miſericorditer tribuit DEUS, ut in hac vita bene operentur, eis miſericordias largiri, ut in æterna beatitudine cen-

Quo pacto beatitudo appelletur miſericordia cùm dicatur reddi meritis

Juſtorum opera vere ac proprie meritoria.

A tuplicato remunerentur; & hanc cenſeri gratiam pro gratia b, ut quibus in hac vita divinitus datur gratia ſanctificationis, eis ex hac quoque in futura detur gratia æternæ felicitatis. De hoc meminimus alibi non ſemel, atq; in hoc ſenſu gratiam DEI dici vitam æternam, & quod Deus munerat, ac præmiat munera, & dona ſua, ut loqui ſolet Auguſt. Nazianzenus c agens de purificatione ſpirituali ſenſuum, ſenſus, auditus purificationem comprobat iſto teſtimonio, vocans πρωϊνὸν ἔλεος, matutinam miſericordiam. Quod Nicetas d exponit de miſericordia, quæ ab iis, qui in ſpiritualis lucis oriente ſunt, conſpicitur. Audiat quiſque, quid loquatur in ſe Dominus e, dicat, ut loquatur, quia audivit ſervus ſuus f, præbeat ei aurem, qui erigit mane, mane erigit nobis aurem, ut audiamus, quaſi magiſtrum: illo aurem aperiente, non contradicat, retrorſum non abeat g. Orandus ipſemet DEUS, ut auditam nobis faciat doctrinam ſuam, ideſt, ut ei obediamus ut aptet, perficiat, perforet aures noſtras h, ut ſicut ſervis perforet illas i, ut tamquam Prophetis revelet k, ut ad inſtar Sacerdotum ungat l. Rectè qui initio petiit exaudiri, nunc petit, ut audire poſſit Deum, & miſericordiam B ipſius. Amici auſcultant te, dicebat ſponſus m, fac me audire vocem tuam.

Quia in te ſperavi.) Hieron., & Auguſt. in Speculo tempore præſenti, quoniam in te confido, Paraphraſtes, ut ſolet, in verbum tuum. Unde non ſatis certa conjectura nonnullorum, indicare velle perſonam ſecundam Trinitatis, quemadmodum alias monui. Spem Gregorius vocat juſtæ petitionis cauſſam, aitque parum eſſe, quod à nobis deficimus, (qui ante dictum eſt defectus Spiritus noſtri) niſi nos tranſcendentes, in DEO proficiamus. De ſui ipſius diffidentia, & fiducia in DEUM, præclara diſſertatio extat Franciſci Ariæ n noſtri. Huic fiduciæ, confidentiæ, ſpei, tribui poteſt impetratio juſtificationis, quemadmodum fidei tribui ſolet: ſcribit Joannes o, quod qui habet ſpem, ſanctificat ſeipſum. Proferens præſentem locum Bernardus p, Deum alloquitur hoc ſermone, ſola ſpes apud te miſerationis obtinet locum; nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis. Addit reprehenſionem infidelis fiduciæ, quam ſolius appellat maledictionis capacem, quum videlicet in ſpe peccamus. Quum vas fiduciæ nominat, ſine dubio vacuum animum intelligit fi- C ducia propria, & ſpiritus defectum illum, de quo prius egimus, quum nempe deficit ſuperbia. Hæc vera hominis fiducia inquit idem Bernardus, à ſe deficientis, & innitentis Domino ſuo, & dicentis in pavore ſuo q, Vadam ad portas inferi: ſperantem in Domino, miſericordia circumdabit r: & DEUS, quoniam in me ſperavit, liberabo te, &c. quia habuiſti in me fiduciam t.

Spes juſtæ petitionis cauſſa

Notam fac mihi viam, in qua ambulem.) Addit Paraphraſtes hanc, quod pronomen continet emphaſim, ſicut alibi u, in via hac, qua ambulam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. In vetere Pſalterio & apud Auguſtinum, alibique apud Hieronymum x inſeritur Domine. Auguſt. vero, ac vetus Pſalterium habent, ingrediar, pro ambulem. Explicant vero Lyranus, Trevetus, alii, de via: per quam poſſet David evadere hoſtes perſequentes, quos fugiebat, huc illuc vagando. Myſticè via ſalutis intelligitur, cujus notitia practica neceſſaria eſt: traditur vero, inquit Rickelius, per illuminationem Spiritus ſancti, per miniſterium Angeli; per prædicationem Eccle- D ſiæ, & aliis modis. Sciebat David, ut ait Gregorius, viam eſſe, quæ recta videtur hominibus, cujus noviſſima ad mortem ducunt y, Lucerna pedibus noſtris verbum DEI, & lumen ſemitis noſtris z. Viam veritatis oſtendit DEUS, luminum pater a quum propheticum ſermonem accendit, cui nos intendere oportet, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco b. Chriſtus ipſe clarius hanc viã declaravit, factus nobis via, veritaſque c, ac velut lumen in teſta carnis ſuæ ut indicat Auguſt. juxta illud d, aruit tamquam teſta virtus mea, ſeipſum ponens: & lucerna accenſa perditam quæſivit drachmam e, ut partim cum Innocentio annotat Hugo. Laboramus ignorantia tanta, quemadmodum Chryſoſtomus admonet, ut multo minus, quam Paullus f, qui hoc de ſe fatebatur poſt tantam cognitionem, quid oremus ſicut oportet ſciamus, viam veritatis eligamus g, & viam iniquitatis amoveri à nobis poſtulemus h. Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos i, & quantumvis cor hominis diſponit viã ſuam, Domini eſt dirigere greſſus ejus K. In multitudine viæ tuæ laboraſti, ait Deus, & non dixiſti, quieſcam l. Qui ambulat in via una,

Via ſalutis myſticè

una, & regia, ut eo Eſaiæ loco docet Hieronym., non laborat, de qua per Moyſen præcepit Deus a, via regia ambulabis, & non declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. In hac via recta deduci ſe oravit David b. Viam ſapientiæ neſcierunt, neq; commemorati ſunt ſemitas ejus c, homines poſt lapſum, ſine peculiari gratia Dei, nec in Chanaan, ubi viguit idololatria, nec in Theman, ubi Philoſophia. Sed & ſemitam ignoravit avis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis (quantumvis perſpicacis Philoſophi.) Non calcaverunt eam filii inſtitutorum, (ſecundùm LXX. ἀλαζόνων, ſuperborum) nec pertranſivit per eam leæna d, (ideſt, Principes, ac tyranni.) Docet nos Chriſtus vias ſuas, ut ambulemus in ſemitis ejus e, qui adinvenit omnem viã diſciplinæ f: audierunt aures noſtræ verbum præceptoris poſt terga monentis: hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram g, Stemus ergo ſuper vias noſtras, (ut intelligamus, quia non ſunt viæ noſtræ viæ Domini *) & interrogemus de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulemus in ea, & inveniemus (ἁγνισμόν, purificationem) animabus noſtris h. Magna pervicacia dicentium, non ambulabimus i. Flagitemus illuminari vultum Dei ſuper nos, ut cognoſcamus in terra viam ſuam K: & vias ſuas demonſtret nobis, & ſemitas ſuas edoceat nos l: B petamus juxta Tobiæ m conſilium, ut vias noſtras dirigat. Pepinus viam vitæ multiplicem refert, ita ut nemo poſſit cauſari, & quomodo poſſumus viam ſcire n, ſed non cognoſcentes non introeunt in requiem Domini o. Enumerat mandatorum, charitatis, humilitatis, tribulationis, pœnitentiæ, ſanctificationis, Baptiſmatis. Recenſet ſex alias vias diaboli malas, ducentes in infernum, quas improbi aliquando perveniendo diabolum, petant ſibi ab illos notas fieri, nempe viam ſuperbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, gulæ, iræ. Singulas utriuſque generis vias ſatis aptis illuſtrat Scripturarum locis. De acedia nihil dicit, quia conſiſtit in omiſſione, & vacatione; ratio autem viæ ad motum pertinet, actionemque, Gabriel Burtellus Italico ſermone tranſcripſit hæc eadem, ſed neminem nominãs. Adjici poſſunt viæ neceſſitatis naturalis, & vocari cum Pſalmiſta p, viæ duræ, de quibus etiam erui orabat q: viæ concupiſcentiæ carnis, & oculorum, cum ſuperbia vitæ r, poſt quas verat Sapiens ſ, ne eamus: viæ dæmonum, ſuperbia, præſumtio, obſtinatio: viæ Angelorum aſcendentiũ, & deſcendentium t per contemplationem, & actionem.

Viæ multiplices.

Quia ad te levavi animam meam.] Appoſuit Paraphraſtes, in oratione. Exiſtimo alibi Hieronymus u, lapſu memoriæ, recitando hunc locum, poſuiſſe oculos meos, pro animam meam. Levare animam ad Dominum, legimus pſal. 24. x & 85. y oculos 120. z & 122. a Hilarius elevationem iſtam animæ interpretatur, ut non ſit in humilibus, ſed in excelſis; & idcirco excelſarum viarum poſtulet notionem, quum ſciat eſſe inimicos, qui ſe in alias vias avocent, & in voluntatem alteram deducant. Gregorius id refert ad converſationem cœleſtem, beatumque planæ prædicat, quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas; quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio: cujus auxilium à Deo, & aſcenſione in corde ſuo diſponit b: Innocentius perinde accipit, ac ſi diceret Propheta; Non continui animam meam in me, quaſi ſufficientem, ſed levavi eam velut inſufficientem ad te. Litteraliter levare animã ad DEUM, eſt, Chryſoſtomo etiam interprete, ab illo pendere ipſum intueri, illum unum reſpicere. Dicta relege ad Pſalmi 24. prima verba. Videtur quædam quaſi moralis mors animæ ſeparatione à corpore conſiſtens, ſecundùm quam anima ab inferioribus abſtracta jungitur cœleſtibus, & DEO. Hoc ſibi voluit apud Philoſophos c Philoſophiæ definitio, ut eſſet mortis meditatio. Propterea etiam allatam Zoroaſter animam commentus eſt, ac confractis alis, ut Rhodiginus d quoque, & Pierius * annotavit, labi in corpus præcipitem, rurſumque lætius plumentem, ac denuò factam volucrem, ſuperna repetere: id autem obtinere, ſi alæ aquis vitæ irrigentur, quæ paradiſi quatuor amnibus proveniunt, quas Ambroſius e virtutes totidem interpretatur, quæ cardinales cognominantur, & quarum ſit fons ſapientia. Quod ultimum Plato f jam prior monuerat. Anima ſic altè volante, ac elevata cupit David notam viam ſibi fieri, in qua ambulet quantum etiam ad corpus, quod ingredi debet, quia volare nondum poteſt. Ipſummet corpus ab anima per gratiam DEI velut machinam ſurſum attolitur, multo facilius, & fœlicius, quam aqua fontium, reſve aliæ graves. Fit in juſto gratia fonti ſimilis aquæ ſalientis in vitam æter-

A nam g, ut non tantum cor, animuſque, ſed & caro exultet in DEUM vivum h. Denique quum levatur ad Deum anima, levat, & ſuſtollit ſecum ipſummet corpus, ac efficit, ut eidem conſentiat, & ſerviat. Tanta in utraque parte conjunctio eſt, atque ſympathia. Sicut onus grave gravant iniquitates i, quum ipſum per ſe corpus aggravet animam, & deprimat terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem K. Idcirco crebrò cor ſurſum erigere, & id habere ad Dominum, atque animam levare ad illum nos oportet.

Verſ. 9.) Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.

Verſ. 10.) Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Sensus loci.

MIſericordiam DEI ſibi ſummoperè neceſſariam, & cognitionem viæ, in qua ambulet, ad evadendum, ait eſſe, ut hoc modo eripi valeat de inimicis, qui omni ex parte ipſum obſident, & circumvallant. Unicum in DEO ſibi refugium, arcem, præſidium eſſe affirmat. Quia verò fieri poterat, ut divinis præceptis minus obtemperaviſſet, immò ita res ſe habuerat circa adulterium & homicidium ab illo patratum, eaque de cauſſa perſecutionem filii meritò ſe pati cognoſcebat, doceri poſtulat facere deinceps exactè voluntatem DEI, & in ejuſdem adimpletione conſuefieri. Petitionis juſtiſſimam, honeſtiſſimamque cauſſam offert; quia deceat hoc DEUM concedere ipſum pro DEO vero, & agnoſcere, & colere, & ei ſervire. Tandem orat, ut ſpiritus DEI bonus, ac benignus, ſive ſit Deus ipſe, ſive Angelus, commonſtret viam, quam præcedente verſu 8. notam ſibi fieri popoſcit: atque per eam viam, tamquam dux deducat, ac perducat recta, uſque ad terram planè rectam, ideſt, optimam & DEO pergratam, in qua nimirum elegit ſibi locum, ut religione peculiari coleretur à ſuis. Poteſt præ- C terea ſimul exponi de deductione in viam mandatorum, atque cunctorum ſaluti neceſſariorum, ducta etiam comparatione ab ſpiritu illo bono, ut Nehemias l loquitur, qui per deſertum in columna nubis, ignisque, populum deduxit m; ſive ab ſpiritu Domini, quem pariter Eſaias n ductorem populi nominat. Vel figuratè ſpiritum pro vento ſumens, ita loquitur, ac ſi poſitus in mari, proſperum optaret ventum ut ſecundo curſu pervenire poſſet in terram. Nec deſunt, qui cum Chryſoſtomo, totam hanc orationem attribuant populo in Babylone captivo, ac promiſſam terram repetere, atque reviſere geſtienti. Generaliore tropologico ſenſu cenſeri poteſt oratio adverſus inimicorum viſibilium, ac præſertim inviſibilium tentationes, qui obſtaculum, & ſcandalum ponunt in via divinæ legis, ut vel ignoretur, vel non conſideretur, vel contra illam ex malitia quoque agatur. Rationem allegat id orans, quoniam confugerit ad DEUM, renuntians diabolo, carni, mundo; & ſuam in DEO ſolo ſalutem conſtituens. Poſtulat præterea: ut non recedat umquam à via legis DEI, ipſius voluntatem cognoſcere bonam, beneplacentem perfectam o: quoniam ſit Deus ſuus, principium, ac finis omnium bonorum ſuorum, auctor naturæ, gratiæ, gloriæ. Tandem, quia non ſufficit ſola notitia, requirit à Deo, ut ad executionem cognitæ veritatis, atq; ad ambulandum, & proficiendum in via explorata divinæ voluntatis, dux, & adjutor eſſe dignetur per unctionem docentem nos p, & per infuſionem Spiritus boni, qui bonos efficit, & quem Deus petentibus non denegat, immò libẽter, ac liberaliter dat q, & ponens eum in medio cordis noſtri, facit, ut ambulemus in præceptis ejus r, atq; demum perveniamus ad patriam cœleſtem, quæ eſt terræ viventium ſ, & recta, ſine ulla prorſus obliquitate cujuſquam difficultatis, vitiiſq; per terram juſtitiarum Dei rectarum t, & planiſſimarum. Qui à ſpiritu ſuo defecit, ut antea de ſeipſo aſſeruit Propheta u, a Spiritu Dei deducitur, ideſt, quem ad malum ſuus ſpiritus deduxerat in regionem longinquam, in qua poſt diſſipatam ſubſtantiã fame laborans verbi Dei, adhæſit diabolo, porcoſq; pavit, & ventrem ſuum cibis eorum x, ideſt, ſuggeſtionibus malignorum ſpirituum. Notat id Gregor. & pericula deſcribit ambu-

Tropologia.

Pericula ambulantium in via Dei.

ambulantium in via Dei, propter inſidias hoſtium, incurſus, prædonum impetus, hoc eſt, propter diabolum *circumeuntem, ut quærat quem devoret, more leonis rugientis* a: occupantem incautos, inermes ſauciantem, incautos expoliantem, alios necantem, alios captivantem, alios ſuffocantem: aliquando transfigantē ſe in Angelum lucis *b*. Deſcribit deinde qualitates inimicorum inviſibilium, quibus cum nobis colluctatio *c*, quia multi ſunt; inſidias habent inveſtigabiles, non gravantur carne, nullis occupantur curis, ſemper ad nocendum parati ſunt. Inferit etiam, poſt Auguſt. doctrinam de neceſſitate gratiæ, quam hinc elicit uterque: quod rurſus in particulari textus enucleatione monebimus. Quod autem attinet ad doctrinam de facienda Dei voluntate, meritò Chryſ. omnium bonorum theſaurum vocat, & opes, quæ nunquam deficiunt, principiumq; & radicem fœlicitatis, & medium, & finem. Paulus quidem, quanti res momenti hæc eſſet, probè intelligens, non ceſſabat orare, & poſtulare pro Coloſſenſib. *d*, ut *implerentur agnitione voluntatis Dei in omni ſapientia, & intellectu ſpiritali, & ſic ambularent dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*, &c. Nam *ſi quis voluerit voluntatem Dei facere, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit* e. Teſtatur verò idem Apoſtolus iiſdem Coloſſenſib. *f*, quod *Epaphras ſemper ſollicitus erat pro iiſdem, in orationibus, ut ſtarent perfecti, & pleni in omni voluntate Dei*. Chriſtus juſſit nos petere, ut Dei *voluntas fieret, ſicut in cœlo, & in terra* g: qui verò *faciat voluntatem Patris*, affirmavit *habiturum eum ſe loco fratris ſororis, matris* h. Hác totius humilitatis appellat ſummam Bernardus *i*, ut voluntas noſtra divinæ voluntati ſubdita ſit, quemadmodum noſter dicebat David, tamquam indignans ſibimet ipſi, ſi qua in contrarium ulla inſurgeret cogitatio *k*. *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea.* Nec dubitat *l* caput fœlicitatis Angelorū hoc unum pronunciare, quod Dei voluntas iam omnino facta ſit ipſorum voluntas: idem verò nobis omni ſtudio & deſiderandum, & conandum. Sed & velle quod Deus vult, ſimilem Deo eſſe dicit *m*: non poſſe velle, niſi quod vult, eſſe id, quod Deus eſt, cui velle, & eſſe, id ipſum eſt. *Cibum ſuum* affirmavit *Chriſtus facere voluntatem Patris* n, ac in magno illo agone id inculcabat *o*. *Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat: non ſicut ego volo ſed ſicut tu*: dixit etiam *non veniſſe ſe, ſuam facere ſed Patris voluntatem* p: *& in capite libri de illo ſcriptum eſt, ut faceret voluntatem Dei* q: & *ut in lege Domini eſſet voluntas ejus* r. Climach. *ſ*, quod ſiti æſtuans cervus, ad aquarum fontem fertur, tam ardenter omnes Dei famulos cupere debere ſcribit, ut divinam voluntatem & cognoſcant, & ſemper exequātur. Proſper *t*, perfectè diligi Deum ab illis ait, qui volendo, quod vult, & nolendo quod non vult, nec ullis peccatis, quibus offenditur, acquieſcunt, & ſemper ſe ad virtutes, quas ipſe dignatur donare, diligendas, & habendas, extendunt. Periluſtre in hoc genere Franciſci exemplum. Hic redeuntem à Clara, & Sylveſtro nuntium, qui ut rogati ab ipſo fuerant, conſultò precibus Deo reſpondebant, Deo placere, ut proximis operam daret, non uni vacaret ſibi, ſic excepit, ut pedes ipſe lavaret ei, cœnamq; inſtrueret; deinde quum eduxiſſet in proximum montem, capite aperto, genibus flexis, cancellatis crucis ritu manibus, audiret, quid facere illum juberet Dominus ſuus Jeſus Chriſtus; moxque illo audito reſponſo, per medios campos, ac denſas ſylvas, ad illos iuvandos ſeſe proriperet *u*. *Secundùm cor Dei eſt, quiſquis facit omnes voluntates illius* x. Hoc *nomen novum, quod os Domini nominavit*; (Hebr *excavabit* ſeu *excavando exprimet*, à נקב *nakau*, quaſi exſculpendo, & cælando tot in ſe vulneribus exceptis. (*Voluntas mea in ea* y, ut ei benè velim, & velit quæ ego volo; & ſic *pax ſit hominibus bonæ voluntatis* z. Deducit Deus volentes quod ipſe vult, ac timentes eum, *in portum voluntatis eorum* a, atq; *voluntatem eorum facit* b. Qui damna propriæ voluntatis percipit, non poteſt non eam abjicere, ſeſeque cum divina conformare. Nullus tyrannus crudelior, teſte Petro Damiani *c*, nulla ſævior poteſtas: pietatis immemor eſt, miſericordiam neſcit, principium iniquitatis eſt, mortis infuſio, deſtructio magna virtutum. Grāde malum ab ea, Bernardus *d* eſſe ſcribit, ut bona noſtra nobis bona non ſint præterea *e*, ut quodam furore Dominum maieſtatis oppugnet, ſubtrahens, ac ſubducens ſe dominatui eius, & omnia, quæ illius ſunt, tollens, & diripiens, immò & ipſummet perimens, quantum in ipſa eſt. Vocat crudelem beſtiam, feram peſſimam, rapaciſſimam lupam, leænam ſæviſſimam, lepram immundiſſimam, idololatriæ ſcelus: nihil Deum odiſſe, ait, aut punire, præter propriam voluntatem: ſi hæc ceſſet, infernum non futurum, quia ignis ille non deſæviet, niſi in propriam voluntatem. Rurſum *f* nominat viperam peſſimam & nequiſſimam: quæ ſola poſſit damnare animas noſtras. Etenim iuxta Aug. *g*, ac Theologor. axioma, non eſt peccatū, niſi voluntarium, quod adeo ille manifeſtum aſſerit, ut nulla Doctorum paucitas; nulla indoctorum turba diſſentiat. Anſelmus *h* comparat voluntatem, quæ diabolo paret, adulteræ; quæ ſoli Deo conjungitur, legitimæ conjugi, filioſq; legitimos generare dicit, virtutes, & opera bona; item *i* diabolum mala perſuadentem voluntati noſtræ, ſimilem affirmat Regi adultero, ex cujus quaſi ſemine tres velut filios voluntas concipiat, delectationem, extollentiam, curioſitatem, ex his autem deinceps innumera vitia; adhæc k propriam voluntatem confert cum herba venenoſa, & mortifera, quam primi parentes guſtaverūt, leproſi evaſerunt, lepraq; infectos filios genuerunt, qui tamen eamdem herbam ſupra omnes alias diligant: poſtremo *l* docet, huic propriæ voluntati cuncta vitia alia militare, & diabolo. Igitur perneceſſaria doctrina faciendæ voluntatis divinæ; tùm præterea, propter ingentia illa quatuor impedimenta, quæ Bernardus *m* commemorat, nempe malitiæ, ſive inſitæ cujuſdam affectionis ad omne vitium; infirmitatis in corpore, & carne, concupiſcentiæ, atq; ignorantiæ. Hos aptè annulos appellaveris ferreæ voluntatis humanæ per ſe ſpectatæ, qua conquerebatur quòdam ſe ligatum, tractumq; Auguſtinus. Ceterum omiſſa voluntate abſoluta Dei, quæ dicitur *beneplaciti*, & quæ non fit à nobis, ſed ut Innocentius hoc loco loquitur, eſt ipſemet Deus, & facit omnia, voluntas ſigni continens præceptum, & conſilium, fieri poteſt à nobis, & quantum ad præceptum, debet.

Voluntas Dei eſt, ut habeamus fidem, & *ad agnitionē veritatis perveniamus* pro conſequenda ſalute *n*; ut charitatem, quem Chriſtus ignem veniſſe ſe, dixit, mittere in terram, velleq; ut accendatur, & ardeat *o*; ut animi, & corporis puritatem, quoniam *hæc eſt voluntas ejus ſanctificatio noſtra, ut abſtineat unuſquiſque à fornicatione, ut ſciat vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore* p: præterea, *ut benefaciētes obmuteſcere faciamus imprudentiū hominū ignorantiam* q, per publicam ædificationem; ut fraterna unitate conjuncti, congregemur ſub alis Dei, ſicut congregantur pulli ſub alis Gallinæ *r*: ut ſimus pii erga fratres, proximoſve, quoniam *Deus miſericordiam vult, & non ſacrificium* ſ, ideſt, non hoc ſine illo, & hoc potius, quā illud; quando non poteſt utriq; ſatisfieri: ut *peccator non moriatur, ſed vivat* t, ſeu reviviſcat per pœnitentiam: ut juſtus in juſtitia perſeveret; quod per accommodationem accipi poteſt in illis verbis Chriſti de Joa. u. *ſic eum volo manere, donec veniam*. Ubi certa ſit Dei voluntas, omnino noſtrā ſequi debere præcepit Bernardus *x*, ut eſt charitas, humilitas, &c. cuncta demum, quæ in Scripturis inveniuntur, aut manifeſtè ſpiritus ipſe intus docet; & è contrario odiſſe, quæ, certum ſit, Deum odiſſe, ut eſt apoſtaſia; ubi nihil certi conſtat, neutri parti adhærendum nimis, ne fortè altera Deo magis placeat, & acquieſcendum Prælato. Qui diſputant de perfectione ſpirituali, hoc ante omnia commendant, quemadmodum ex eorum refert ſententia Caſſinus *y*, proprias frangere voluntates. Baſilius z, uti propria voluntate, arbitriove non ſolum eſſe alienum docet à recta ratione, ſed contumaciæ quoque ac pervicaciæ periculum. Item *a*, quod quum Dominus dixerit, *Deſcendi de cœlo, non ut faciam volūtatem meam* b, quidquid quiſq; ex propriæ voluntatis arbitrio faciat, id quum facientis proprium ſit, alienum eſſe à cultu pietatis; metuendumq; ne de eo, quod videtur facere, ipſi dicatur à Domino, *Ad te cōverſio ejus, & tu dominaberis ei* c. Iſaias *d* Abbas, inimicum Dei conſtitui, definit, qui propriam ſequitur voluntatem; præterea *e*, qui voluntatem ſuam proximo ſubmittit, animum virtutis ſtudioſum oſtendere; qui verò ſuā amplectitur, præ ſe ferre imperitiam. Cyprian. *f* argumētatur, ſi Filius obedivit, ut faceret Patris voluntatem, multo magis ſervum obedire debere, ut faciat Dei voluntatem, quia etiam *qui hanc facit, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternū* g. Iſtam Doroth. *h* memorat Doſithei diſcipuli ſui præcipuam exercitationem fuiſſe, ut propriam voluntatem crebrius frangeret, ideoq; intra quinquennium ad tantam perveniſſe perfectionem, ut poſt mortem conſpectus ſit inter Sanctos ad magnam gloriam evectus, quum vivens multò multis inferior eſſet in jejuniis, vigiliis, aſperitatibus aliis. Tradit idem

a 1.Pet.5.8 — b 2.Cor.11.14 — Qualitates inimicorum inviſibilium. — c Eph.6.18 — d cap.1.9.10 — e Ioan.7.17 — f cap.4.12 — g Mat.6.10 — h cap.12.50 — Humilitatis ſumma. — i ſerm. quomodo voluntas noſtra divinæ ſubdatur. — k pſal.61.2 — l ſerm.6.de Quadrag. — Quanti referat voluntatem noſtram divinæ voluntati ſubjicere. — m ſerm. ad fratres de monte Dei. — n Joan.4.34 — o Mat.26.39.42 — p Joan.5.30 cap 6.38 — q pſ.39.9 — r pſ 1.2 — ſ gradu 25. — t 3 de vita contemplat. cap.15 — u Chron. Franciſc. — x Act.13.22 — y Eſa.62.2.4 — z Luc.2.14 — a pſ.106.30 — b pſ.144.19 — Propria voluntas fera peſſima, tyrannus crudelis eſt. — c ſerm. de S. Bened. — d ſerm.73. in Cant. — e ſerm.3.de reſurrect.

f ſerm.de dup. Baptiſ. — g de vera virgin.c.14 — Non eſt peccatum niſi voluntarium. — h de ſimilit.cap.2 — Voluntas, quæ diabolo paret, adulteræ comparatur. — i cap.37 — k cap.38 — Propriæ voluntatis cum herba venenoſa collatio. — l cap.39 — Doctrina faciendæ voluntatis divinæ neceſſaria. — m ſerm.6. de Quadr. — n 1.Timoth. 2.4 — o Luc.12.49 — p 1.Theſſ.4.4 — q 1.Pet.2.15 — r Matt.23.37 — ſ Oſeæ 6.7 Matt.9.13 — t Ezech.18 cap.33 — u Jo.21.22.23 — x ſerm. quomodo voluntas tripliciter ſubjici debeat. — y 4.inſtitut. c.6. & 7 collat.9 cap 8 — z regul 123. ex brevib. — a regul.138. — b Joan.6.38 — c Gen.3.16 cap.4.7 — d orat.23 — e orat.16 — Propria voluntas ſæpius frangenda. — f ſerm.6 — g 1.Jo.2.17 — h doctrina 1

idem Dorotheus * hac ratione indui habitum, quo ſine modeſtia, vel repugnantia cuncta quis perficiat, ſeq; perfectè aſſerat in libertatem; Simile exemplum Doſitheo narrat Climachus *a* de alio quodam Monacho. Ad extremum, nulla ratio melior, & efficacior ad quidvis agendū tolerandum, cavendum, amplectendum, refutandum, approbandum, quam quia ſit placet DEO noſtro, vel non placet, quoniam vult, aut permittit; ipſa enim permiſſio bona, quamvis permiſſa res quandoq; mala, & à DEO permittēte prohibita. Quocirca diligenter cave, ne volūtas tua in præceptis DEI graviter ſe gerat, ut grave illi videatur ipſis obtemperare: in his, quæ permittit admirative, ut quod improbis proſpere cuncta ſuccedant: in beneficiis ingrate, in pœnis impatienter. Vult DEUS tuus, nihil ultra requiras. Jumentum es: eſto ſemper cum illo; ac ſine, ut *manum tuam teneat, & in ſua te voluntate deducat* b: *equitatui in curribus Pharaonis aſſimilare* c, hoc eſt, permitte, ut te tam facile tractet Deus, quam ad frenos prompti erant equi illi. Si conſtat, Deum velle, ſequere volentem, quamvis voluntatis ignores rationē, alioqui captivus duceris ad diaboli voluntatem. Quod ſit juxta Dei voluntatem, licet improbum videatur, tamen omnino DEO gratum eſt, & acceptum: & contra peſſimum, quod præter illius voluntatem, ut demonſtrat Chryſoſt. *d*, exemplo ejus, qui percutere Prophetam juſſus cum noluiſſet; ipſe à leone percuſſus eſt *e*. Ut intelligamus, ait idem Doctor, in juſſis divinis non oportere curioſum eſſe, examinareq; rerum, quæ præcipiuntur, naturam, ſed nihil aliud quam obtemperare. *Noli in ſuperbia erectus, & quaſi pullus onagri te liberum natum putare* f, in cunctis, quæ appetis, nutum prius intimæ diſpenſationis exquire, ut mens tua in omne, quod nititur, ſuperni regiminis loco teneatur, & inde magis vota ſua ad vitam impleat, unde vitæ tuæ ſtudia, & contra propriam voluntatē calcat, ut Gregorius g monet. *Quia Deus meus es tu*, inquit David, *doce me facere voluntatem tuā*. Quaſi dicat, debeo facere; ſed neſcio, & non poſſum: (Da quod jubes, & jube quod vis *h*.) *Sicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi mei ad te* i, ut nutus obſervem tuos, & manibus tuis juver, nec *à mandatis labiorum tuorum recedam, ſed in ſinu meo abſcondam verba oris tui* k: quemadmodum benè obſequentes, ut Gregorius *l* ait, Dominorum ſuorum vultibus ſemper intenti ſunt, ut ea, quæ præceperint, feſtine audiant, & implere contendant. Deniq; optima ratiocinatio Cypriani *m* ex collatione majorum, & minorum. Ipſe de ſervo tuo, inquit exigis ſervitutem, & homo hominem parere tibi, & obedire compellis: & cùm ſit vobis eadem ſors naſcendi: conditio una moriendi; corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, æquali jure, & pari lege vel veniatur in mundum, vel de mundo poſtmodum recedatur, tamen niſi tibi pro arbitrio tuo ſerviatur, niſi ad voluntatis obſequium pareatur imperioſus, & nimis ſervitutis exactor, flagellas, verberas, fame, ſiti, nuditate, ferro frequenter, & carcere affligis, & crucias; & non cognoſcis miſer Dominum Deum tuum, qui ſic exerceas ipſe in hominem dominatum? Quotquot ſunt homines, alterius voluntati ſubjiciuntur, vel filii, vel diſcipuli, vel ſervi, vel milites, vel Clerici, vel Religioſi, vel ſubditi, nec Rex, ſeu Imperator, aut ipſe ſummus Pontifex ſubtrahi ab obedientia DEI poteſt; *cui omnia ſerviunt* n. Magna fœlicitas eſt, ait Auguſtinus *o*, in domo magna DEI eſſe ſervum, etſi cum compedibus. Servum te charitas facit, quia liberum te veritas facit *p*. Serviunt cætera, ſolus homo propria voluntate ad voluntatem DEI libere applicata. Idcirco in mundi creatione tunc tantum *Domini* nomen Deo tributum obſervat Tertullianus *q*, cum cretus eſt homo, qui propriè, inquit, Dominum intellecturus erat.

Eripe me de inimicis meis, Domine.) Hieron., *libera*. Vetus Pſalterium, & Auguſt., *exime*: ſed hic in Speculo *libera*. Idem eſt exordium Pſalmi 58. & ſimilis petitio in aliis *r*. De vario inimicorum genere non eſt modo agendum: cum etiam hinc inde dicta ſint nonnulla. Liberatio iſta juſte petitur, ſicut & à malo *ſ*, quem aliqui diabolum intelligunt capitalem inimicum, caputq; inimicorum cæterorum. De Chriſto interpretatur orationem iſtam Pepinus, ut & ſimiles alias; qui peteret liberari ab inimicis ſecundùm partem inferiorem, qua mortem timuit, & ſecundùm rationem quoq; deliberatam; ſed ita ut exauditus fuerit in reſurrectione, quando terræmotu exterriti ſunt cuſtodes *t*, ac deinceps.

Ad te confugi.) Vetus Pſalt., & Auguſt. *quia ad te confugi*. Hieron., & idem Auguſt. in Speculo *à te protectus ſum*. Sed apud Trevetum, *ad te projectus ſum*; & exponit, in te, ac tuam protectionem projectus ſum, refutans quemcumque alium protectorem præter te. Alii, *in te ſpero; ad te latiturus*, vel *protegendus confugi: apud te obtexi*, aut *abſcondi, nempe me; tibi abſcondi, nimirum cauſſam, exponens uni tibi, non alii, vel DEO falſo, vel homini, & à te ſolo opem expectans: tuæ occultæ protectioni concredidi me*. Cajetanus legens, *ad te abſcondi* vult Davidem innuere, quod ſub ſpe in Deum, & ad ſanctum finem abſconderit Chuſi, ſive ſub amici ſpecie abſconditum, ac tamquam amicum Abſalonis, ad eum dimiſerit, ut diſſiparet conſilium Achitophel *x*, quod & ille fecit *y*. Durior ſenſus Paulo probabilior alius Agellii, ac ſi diceret David, (ſumendo ſcilicet verbum Hebræum, ut ſignificet *abſcondi*, ſeu *texi*) ad te occultavi, ac texi, tibi ſoli cognitos eſſe cōtentus inimicos meos, nec eos nominatim volens exprimere, aliiſque prodere. Quo pacto noluit nomen ſceleſti filii declarare, vel etiam Saulis, de quorum alterutro dicitur hic Pſalmus agere. Ferri non poteſt, quod Scriptor quidam z Hiſpanicè ſcribens in hunc Pſalmum, ait, ex Hebræo verti debere, *ad te texi*, & ignoratione Latinæ linguæ, *texi* ſumit pro *textui* texitque filo nimis tenui, fragilique neſcio quem, ut ipſe vocat, diſcurſum. Hebræum verbum כסיתי *chiſſithi*, quod Latinis litteris apud eumdem perperam ſcribitur, *Chriſti*, ſignificat autem *tegere, operire, abſcondere, celare*. Sic Pſ. 31. *a injuſtitiam meam non abſcondi*, לא כסיתי *lo chiſſithi*; & in 103. *b abyſſus ſicut veſtimentū amictus ejus* ex Hieron. *abyſſo ſicut veſtimēto operuiſti eā* כסיתו *chiſſitho* LXX. ſenſum potius reddere voluerunt, quia qui tegit ſe, vel abſcondit ſub alio, tegive, & abſcondi vult, atque protegi, & defēdi ab ipſo, ad illum confugit: vel aliud verbum חסותי *chaſithi* legerunt, quod eadem valet, ac prius, & præterea *ſperare*, atque *hoſpitari, & ſeſe in locum aliquē recipere, ubi ſis tectus, & tutus, latibulum ſuper protectionē alicubi quærere*, plura occurrerunt in aliis Pſalmis exempla, in quibus Latinè ſunt verba *ſperandi & confitendi*; nomen autem מחסה *machſeb* quandoq; *c* transfertur nomine *refugii*, aut *adjutoris* d, ſæpius nomine *ſpei*. Chaldaicè hoc loco, *verbum tuum conſtitui redemtorem meū*, aut *redemtionem meam*. Ubi monet Genebrardus Paraphraſtes Chaldæos, pro *DEO*, *verbum DEI* ſæpius transferre: quaſi aliquid audiviſſent de DEI verbo increato incarnando. Pie, acuteq; Auguſt. inducit loquentem Prophetam, vel alium, cujus induat perſonam; qui aliquando à te fugi, ad te confugi. Ponit exemplum Adam, qui poſt peccatum fugit à facie DEI, & abſcondit ſe inter ligna paradiſi *e*, ut de illo, inquit, diceretur (ſeu dici poſſet per accommodationem) in libro Job *f*, *tamquam ſervus fugiens Dominum ſuum & conſequutus eſt umbram*. Subdit, non poſſe ad alium confugi, quia fugi non poteſt *à facie Dei* g. Eſſet alluſio elegans ad eumdem Adam, juxta translationem ex Hebræo recitatam, *texi ad te*, ideſt, me ſub te texi, ac protectione tua, qui tegi prius volebam, fugiendo te, & abſcōdi, ne videres me. Ariſtoteles *h* aſſerentem refert Architam, ταὐτὸν εἶναι διαιτητὴν, καὶ βωμὸν, *idem eſſe arbitrum, ſeu juris diſcretorem, definitoremve, & aram*: quoniam ἐπ᾽ ἄμφω ὁ ἀδικούμενος καταφεύγει; *ad utrumque confugit id, quod injuriam accepit*. Ipſe autem Ariſtoteles adjicit aliam comparationem, ἀγκύρας, καὶ κρεμάστρας, *anchoræ, & cremaſtræ*, ſive *funis ex quo pendet anchora*, aut *vaſis penſibilis in quo reponūtur aliqua*. Paulus *i*, fortiſſimum ſolatium habere nos, ait, in DEI pollicitatione, & immobilitate conſilii ejus, qui confugimus ad tenendam propoſitā ſpem quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentē uſq; ad interiora velaminis, ubi nempe ſit abſcōſio, & confugium, & pluſquam civitas refugii pluſ etiā piſces, qui catulos ſuos, ut à periculo liberent, innoxio dente ſuſpendunt, interno recipiunt corpore, genitali alvo abſcondunt, ac iterum poſtea effundunt K.

Doce me facere voluntatem tuam.] Hieron., itemque Auguſt., cum vetere Pſalterio, *ut faciam*. Nulla melior, honeſtior, magis neceſſaria nobis, vel DEO magis grata poſtulatio, cui ſimilis illa diſcipulorum facta Chriſto magiſtro *l*, *doce nos orare*: quoniam in oratione edit Deus oracula, & reſpōſa ſua, quidq; nos velit facere. *Doctor eſt Deus, Chriſtuſve, juſtitiæ* m: quia *Sol juſtitiæ* n, efficit nos *docibiles DEI* o Θεοδίδακτους, ſive *doctos à Domino* p; ipſe *Dominus Deus noſter docet nos utilia* q, & *vias ſuas* r, & *ſcientiam*, ſed *ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus* ſ: immo hoc ipſum docet, idque *à juventute noſtra* t: præterea,

* doctrin.17 — a gradu 4 — b pſ.72.24 — c Cant.1.8. — In juſſis divinis non quærenda curioſe ratio. — d orat.1. contr. Judæos. — e 3.Reg.20.36 — f Job.11.12 — g 10. moral. c.10. vel 15 — h Aug.10. confeſ.c.29 — i pſ.122 — k Job.23.12 — l 16. morat. c.16. vel 17. — Ratiocinatio Cypr. — m contra Demetria. — n pſ.118.91. — o in pſ.99 — p Joan.8.32 — q ad verſ. Hermog.c.3. — r pſ.16.13.pſ.30.16.pſ.58.3.pſ.68.19. &c. — ſ Mat.6.13. — t Mat 28.4.

x 2.Reg.15.14 — y cap.17.14 — z Petr.Vega curſu 1. diſcurſu 1 — a verſ.5 — b verſ.6 — c pſ.45.2.pſ.103.18 — d pſ.61.9 — e Gen.3.8 — f cap.7.2. — g pſ.138.7 — h 3. Rhet.c.11 — i Heb.6.18.11 — k Ambroſ.5 hexam.c.3 — l Luc.11.1 — m Joel 2.23. — n Malach.4.2 — o Ioan.6.45 — p Eſa.54.13 — q cap.48.17 — r cap.2.3 — ſ cap.28.9 — t pſ.70.17.

terea, *cum ſcientia bonitatem, & diſciplinam* a, *beatitudines* b, ſive rationes beatitudinem conſequendi. Iſtam doctrinam Auguſt c gratiam vocat, qua agatur non ſolũ, ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. Probat ex Apoſtolo ſcribente ad Theſſalonicenſes d, *de charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis ſcribi: nam ipſi vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem: etenim facitis illud in omnes fratres, in univerſa Macedonia*: tamquam hoc certiſſimum indicium, quod à DEO didiceris, ſi id, quod didiceris, feceris. Iſto modo intelligit eſſe *docibiles DEI*: & qui novit, quid eſt, quod fieri debeat, & non facit, affirmat nondum à Deo didiciſſe ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem, non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm litteram. Iterum confirmat Chriſti ſententia e, *Omnis, qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me.* Deniq; ait, quod iſto divino docẽdi modo etiam ipſa voluntas, & ipſa operatio, non ſola volendi, & operandi naturalis poſſibilitas (ut aſſerebat Pelagius) adjuvatur. Poteſt hic idem hæreticus urgeri Chryſoſt commentario in hunc locum. Non dixit abſolute, inquit, *doce me voluntatem tuam*, ſed *doce me facere voluntatẽ tuam*, ſed *doce me facere voluntatem tuam*, ideſt, ad ipſa me facta deduc; ſuperna enim ope, & cœleſti doctrina opus eſt, ut ingrediamur via, quæ ducit ad virtutem, non nobis in otio degentibus; ſed quæ ſunt noſtra conferentibus, ideſt liberum conſenſum, atque cooperationem. Non poteſt creatura creaturam hoc pacto docere, ſed exterius tantum; ut idcirco vetuerit Chriſtus vocari magiſtrum in terra ullum alium præter ſeipſum f. Sed ne externa quidem cultores Deorum à Diis ſuis probitatis accepiſſe præcepta, vel hos bene vivendi ſanxiſſe doctrinam, demonſtrat Auguſt. g. Non ſufficit dicere, *Domine Domine*, niſi *voluntatem faciamus illius* h; & qui *deſiit à peccatis, jã non deſideriis hominũ ſed voluntati Dei, quod reliquũ eſt in carne tẽporis vivere debet* i *ſervus* enim *ſciens voluntatẽ Domini, & non faciens, vapulabit multis* k. *Beati* quidem *ſumus, quia quæ Deo placent manifeſta ſunt nobis* l; verumtamen ſi eadem opere compleamus.

a pſ. 118. 66 — b Mat. 5. 3 & ſeq. — c 1. de gratia Chriſti c 12. 13. 13 — d 1. epiſt. — e Jo. 6. 45 — Pelagii confutatur error. — f Mat. 23. 10. — Deorum cultores à diis ſuis ne externa quidem probitatis præcepta acceperũt. — g 2. de civ. cap. 4. 5. 6 — h Mat. 7. 21 — i 1. Petr. 4. 3 — k Luc. 12. — l Baruch. 4. 4

Quia Deus meus es tu.) Tali argumento uſus eſt alias m, *manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me: da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* O confeſſio, ait hoc loco Auguſt., ô præſcriptio, quoniam tu es, inquit, Deus meus. Ad alium curram refici, ſi ab alio factus ſum. Tu es totum meum, quia tu es Deus meus. Deinde oſtendit eſſe Patrem, propter hæreditatem, immo eſſe ipſammet hæreditatem: Dominum, propter redemtionem: Patronũ propter liberationum: denique Creatorem, & Recreatorem; nec poſſe eſſe illum Deum noſtrum, ſi nos ipſi ſimus nobis magiſtri. Similis ratio orationis in alio pſalmo n, *dirige me in veritate tua, & doce me; quia tu es Deus Salvator meus.* Tantopere delectatur Deo doctore vir juſtus doctrinaq; divina, ut licet *docere* poſſit *iniquos vias illius* o: tamen doceri magis, ac magis velit ad perficiendam melius voluntatem Dei, quia Deus eſt, ſive quoniam hoc meretur dignitas, bonitaſque tanta, etiamſi nullum aliud inde ſequeretur emolumentum: quia norma, & forma eſt omnis rectitudinis, & bonitatis: quoniam accepta jam ab illo beneficia id exigunt. Sapienter monet Arnobius. Vis, ô homo, habere patronum Dominum? diſce voluntatem ejus. Fac quod vult, & faciet quos vis. Uſus eſt Clemens Papa III. hoc verſu pro ſymbolo p.

m pſ. 118. 73 — n pſ. 24. 5. — o pſ. 50. 15 — Clementis III. ſymb. — p Ciacco. in vita.

Spiritus tuus bons.) Colligit hoc loco Nibienſis ex fragmentis Caballiſticis doctrinam de perſona Spiritus ſancti. In 50. autem pſalmo egimus de hoc Spiritu bono, ſancto, recto principali. Trevetus per *Spiritum bonum* intelligit bonam DEI voluntatem, ſive beneplacitam. Qui ſenſus admitti poteſt; At de Spiritu divino, & qui ſit Deus ipſe, cummunior, & melior expoſitio eſt. Ambroſ. q quum Chriſtus dixit r, *Quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi ſolus Deus*: occurrit Arianis Chriſtum quoq; ut Dei Filius eſt, bonum eſſe, quia ex bono natus, & ſubſtantia bonitatis aſſumta ex Patre, non degeneravit in Filio, quę nõ degeneravit in Spiritu. Probat ultimum ex præſenti loco & ſi bonus eſt Spiritus, qui accepit ex Filio; bonum utique & illum eſſe, qui tradidit. Athanaſius ſ, item de Spiritu ſancto hunc locũ intelligit, homines dici bonos participatione μετοχῆ: præterea Elias Cretenſis t, & Nicetas cum Nazianzeno u: item Cyrillus Jeroſolymitanus x, & Didymus y, qui teſtatur, in quibuſdam exemplaribus ſcriptum fuiſſe, *Spiritus ſanctus tuus*. Hieron., quoq; nomine inſignitus Auctor in commentario: item Baſilii z. Nec

q l. 8. in Luc c. 18. & de p. ſancto, c. 5. l. 3. c. 16 & in ſymb. Apoſt. — r Luc. 18. 19 — ſ ad Serap. quod Sp. ſanctus non ſit creatur. & tract. de human. nat ſuſcept. & dial. 1. de Trin. & l. 3 de Trinit. — t in orat. 13. Nazianzen. num. 65. — u orat. 34. 19 — x catech. 16 — y de Spir. S. — z 5 cont. Eu.

abhorret ſimul accipere *Spiritum bonum* pro Angelo Cuſtode, ut facit Innocentius, quemadmodum *Spiritus Domini malus* de diabolo dicitur a. Figurato pręterea ſermone *Spiritus bonus* pro vento bono poſſet valere proſperũ eventum: tum etiam bonam, ſeu ſpiritualẽ reſpirationem, atq; olfactum, ut nihil aliud reſpiremus, quam cęleſtia; & in odorem bonum cœleſtium curramus ad viã, terramq; rectam; atque hic noſtræ ſit portus voluntatis, facere Dei voluntatem, illi placere, illo frui. Eodem ſpectant ſpiritus, quos vocant vitales, quoniam, ut Richardus Victorinus b ſcribit; ſic Spiritus ſãctus procedẽs à Patre, & Filio, eſt vita animarum noſtrarũ; quemadmodum ſpiritus humanus, qui procedit de corde, vita eſt corporum. Spiritus vitales reddunt nos magis agiles, & habiles ad motum, & alias operationes; qui cùm diminuuntur in jejuniis, aut omnino abſunt in mortuis; minus apta, & levia reddũtur, aut omnino etiã gravia, & inepta. Deniq: *Spiritus* hic *bonus* opponitur noſtro ſpiritui proprię voluntatis, ac ſuperbię; & maligno, qui eſt diabolus, ut antea diximus & *ſpiritui mundi* c. *Qui autem ſpiritu DEI aguntur, hi ſunt filii DEI* d, & his ille ductor eſt in hoc deſerto, *duxque in miſericordia* f. De multiplici acceptione *Spiritus* diximus alibi. Innocentius diſtinctionem ponit pro Deo, pro tertia perſona Trinitatis, pro Angelo, pro anima humana, pro ſpiritu dæmoniaco, pro ſpiritu animali, ſive cujuſvis animalis anima, pro ſpiritu gratię, pro ſpiritu prophetię, pro ſpiritu ſapientię, pro ſpiritu Scripturę, pro ſpiritu poteſtatis, pro ſpiritu volũtatis, pro ſpiritu indignationis, pro ſpiritu contemplationis pro ſpiritu virtutũ, pro ſpiritu vitiorũ, pro ſpiritu ęgritudinẽ, pro ſpiritu tẽpeſtatũ.

a 1. Reg. 16. 14. cap. 22. 23 l 3. 21. 22. 23. — b 6. de Trin. — c 1. Cor. 2. 12 — d Rom. 8. 14 — e Eſ. 63. 14. — f pſ. 79. 10 — Spir. acceptio varia.

Deducet me.] Hactenus per modum deprecantis Propheta loquutus eſt, nunc, ut de re futura loquitur, ac deinceps uſq; ad finem pſalmi; nimirum propter ſpei, fiduciæq; certitudinem, & quaſi jam ſit certus ſe obtinuiſſe. Qui prius ſpem liberationis concéperat, inquit Innocentius jã obtinet certitudinem. Tamen futurum pro imperativo ſumi poteſt. Petierat prius, *notam ſibi fieri viam, in qua ambularet*, modo pronuntiat, quod *Spiritus bonus Dei deducet ipſũ in terram rectam*: popoſcerat *eripi de inimicis*, poſtea ſimpliciter aſſerit, quod *educet Deus de tribulatione animam ſuam*: oraverat, *auditam ſibi fieri mane miſericordiã DEI*: hujus impetrationem innuunt ſequentia, *in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos*, &c. Deductio iſta debet intelligi ſalva in eo, qui deducitur, libertate, ac proinde abſque phyſica prædeterminatione, quam non minus hinc probant quidã Catholici g, quam Calvinus in commẽtario; etſi iſte fateatur inde tolli liberum arbitrium, alii negent. Ex deductione porro iſta *in terram rectã*, videlicet beatitudinis, per *Spiritum bonum*, colligitur neceſſitas donorum Spiritus ſancti ad beatitudinem, ſaltem ſecundùm habitum. *Qui Spiritus Chriſti habet, hic non eſt ejus* h. Licet fieri poſſit; ut eo non agatur, ideſt, abſque actibus hujuſmodi donorum, ſed tantum virtutum, promereatur, & adipiſcatur beatitudinẽ. In actu primo, ut dicunt agitur juſtus deduciturq; à Spiritu bono; ſed & in actu ſecundo, quando in ullum prodit. Spirat neſcio quid quo trahitur animus, & deducitur in terram rectam fœlicitatis hic ſpiritus, quemadmodum cervos maria tranare gregatim nantes porrecto ordine & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibuſque ad terga redeuntes Plinius i, memorat; maximę à Cilicia Cyprum verſus non quidẽ videndo terras, ſed in odorem earum natando. Cauſſas, cur Spiritus ſanctus vocetur *Dei digitus* k, Lucas Brugenſis l, uno ſermone ſeptem aſſignat, & explicat: quia conſubſtantialis Patri, & Filio: quia illo Pater, & Filius operatur: quia eidem attribuitur partitio donorum: quia jungit omnia, quæ ſanctificat: quia Deus Spiritu ſuo ſancto indicat, & monſtrat nobis, *docetq; omnem veritatem* m, & quaſi deducit: quia ſcribit quodammodo, & exarat tùm in cordibus noſtris, tùm Scripturas divinas; quia collectis tamquam in pugnum digitis tuetur nos contra adverſarios. Ex his quinta facit maximè ad propoſitum.

Deductio terram rectam quomodo intelligi debeat — g Alvarez in Eſa. 63. 11. 14. — h Rom. 8. 9. — i l. 2. cap. 38 — Cauſſæ cur Spiritus Sanctus vocetur Dei digitus — k Luc. 11. 20 — l ſerm. 6 — m Joan. 14 26. c. 16. 13.

In terram rectam) Ita etiam Hieron., prout & Hebraicè extat, כארץ מישור *beerets miſcior*. Chaldaicè, *in viam rectã* באורח תריץ *beorach therits*, quod tamen non recte à Nebienſi redditur per *terram rectam* Græcè in Bibliis correctis, ἐν τῇ εὐθείᾳ, *in recta*: quod haud ita etiam bene reddidit in accuſativo is, qui emendatam editionem Lxx. Latinam fecit, nec qui aliam prius fecit editam per Andream Cratandrum Baſileæ anno 1526. Innocentius Papa III. hoc loco, & alibi. Ambroſius n legit *in viam rectam*, ut Pſalterium Romanum: præterea Arabicum, quo

n 1 de Sp S c. 5. & l. 3. 16 & l 6. in Luc. cap. 18 & in ſymb. Apoſt.

quo uſus eſt collector notationum in Biblia Sixtina ex edit. Lxx. id enim, quo utor, non differt à noſtra Latina translatione. Refert etiam Chryſoſt. aliam verſionem, διὰ γῆς ὁμαλῆς *per terram plenam*, ſeu *æquabilem* Apollinarius vocat ἰθεῖαν χθόνα, quæ idem valent; ac γῆς εὐθείας. Reperio apud Athanaſium aliquando a, ἐν τῇ εὐθείᾳ, *in recta*, pro ἐν τῇ εὐθείᾳ *in terra recta*, quo tamen ſecundo modo alias idem b, legit. Nihil facilius, quam pro γῆ ponere τῇ. quamquam apud Græcos ἡ εὐθεῖα ponitur abſolute non raro, aliud quidpiam ſubaudiendo, ut εὐθεῖα γραμμὴ ὁδός δίκη πτῶσις, &c. *recta linea, via, juſtitia*, vel *cauſſa*, vel *patrocinium, caſus*, &c. Lege Budæum c. *Terram rectam* intelligit patriam ſuam, à qua exultabat in præruptis, & confragoſis locis; vel juxta vim Hebræi כמישור *miſcior* gratam, excultam, amœnam. Eſt idem vocabulum in pſalmo 25. d, *pes meus ſtetit in directo.* Trevetus explicat de terra, in qua exerceatur rectitudo, & juſtitia, qualis non erat terra ſub Saule deſæviente in bonos. Quam ſit plana, levis, facilis, æqua virtutis via, periculis, & ſcandalis libera, ut Græci hoc loco docent: oſtendi longiore ſermone poſſet: agi præterea de varia terræ notione: tũ pro ea, quæ cognominatur *viventium*, ideſt, beatorum. Pepinus agit de terra pœnitentiæ ſalutaris, religionis obſervantialis, gloriæ cœleſtialis: ſic ille loquitur: ſimul exponẽs, quo pacto Deus *deducat juſtum per vias rectas* e, &c. dirigendo in ultimum finem beatificum per debita media oſtendendo regnum Dei per claram viſionem: dando hic ſcientiam Sanctorum practicam de agendis, fugiendis, credendis; tribuendo famam bonam, quod eſt honeſtare in laboribus, complendo labores, remoto omni malo: protegendo denique ab inimicis. Caſſiod. accipit pro corpore noſtro terram, hancq; terram fieri rectam, & deduci corpus à Spiritu bono, quando ſubdit ſuis regulis. Refert R. Abn-Ezra alios Rabinos expoſuiſſe hanc orationẽ, ut hominis revera navigantis, & in medio mari ventum proſperum flagitantis, quo poſſit appelli navis recta ad portum, terramq; rectam, & expetitam. Tamquam ſermo figuratus admitti poteſt, Talis quoq; cenſeri poteſt, quem citatus Pepinus proſequitur ſub ratione peregrinãtis, qui deductione, ac directione indigeat in terram, ad quam tendit. Enumerat peregrini conditiones, juxta tropologiam illas explanando; ut geſtet peregrinus aliquam nonotam ſignumve: quærat bonum panem, vinumque: aqua fontana ſeſe abluat, ac refrigeret: circumferat uguentum, quo pedum articulos inungat: excutiat pulverem, lapilloſq; de pedibus; interreget obvios de via. Hæc interpretatur de Baptiſmo, de frequenti Euchariſtiæ ſumtione; de crebra uſurpatione Pœnitentiæ, de extrema Unctione, de excutiendo, abjiciendoque affectu bonorum temporalium, de conſulendis peritis viæ ſpiritualis. Latius patet comparatio iſta, & extant nonnullorum tractatus de peregrino ſpirituali.

a ad Serapio. quod Spiritus S. non ſit creatura. — b de humana ſuſcept. & dialog. 1. de Trin. — c commeut. ling. Græc. pag. 52. & 53. — d verſ. 11 — e ſap. 10. 10 — Peregrini conditiones.

Verſ. 11.) Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam.

NON contentus, vel fiſus, vel nixus humili, ac ſupplici prece, continua meditatione, ſpe, elevatione animæ, & quod confugiſſet ad Deum, deniq; nulla prętexens merita propria, proponit ante oculos divinæ Majeſtatis, curam nominis, & gloriæ ipſius: itemq; perfamiliarem eidem, uſitatiſſimamque miſericordiam, & benignitatem. Nam niſi fere perditum, ac mortuum Deus ipſe ſalvet, atq; vitæ reſtituat, actum videbitur de nomine, gloriaque illius apud hoſtes, qui ſic deſpici, & deſeri animadvertant ſervum, & cultorem Dei. Deinde tametſi merita deſint, quibus impetretur, quod petitur: at ejuſdem Dei bonitatem decet, ſimulque fidelitatem in præſtandis promiſſis, animam, ſive vitam de tam gravi diſcrimine liberare. Accommodari ſolent hæc etiam ad juſtificationem, quæ eſt vivificatio animæ: quam Deus efficit per gratiam, & propter gloriam ſuam: tandem vero tribuet in reſurrectione vitam ipſi corpori, atque perfectam liberationem ab omni tribulatione, & à cunctis inimicis; quo ſequenti verſu magis exprimimur.

Senſus loci.

Propter nomen tuum, Domine.) Sæpius ita obſecrat David, *propter nomen Domini* f, quod ſignificat celebritatem famam, gloriam, claram, & honoratam de Deo opinionem: præterea per accomodationem nomen *Jeſu*, quod ſalutem involvit.

f pſ. 24. 11 pſ. 30. 4 pſ. 43. 26 pſ. 70. 9 pſ. 108. 21 pſ. 113. ſecund. Heb.

Vivificabis me in æquitate tua.) Ultimas tres voces rejiciunt alii in ſequens membrũ, duas primas jungunt præcedenti. Vertit autem Hieron. *in juſtitia tua*: quod Hebraicè propriè valet בצדקתך *betſidkatbeca*. Chryſoſt. meminit alterius translationis ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου, *in miſericordia tua*, pro ἐν δικαιοσύνῃ σου, *in juſtitia tua*. Vidimus autem crebro nomen *juſtitiæ* tribus iſtis linguis pro miſericordia uſurpatum: & ex dicta illa translatione Chryſoſt. occaſionem ſumit id admonendi, quod clementia ſæpe nomine *juſtitiæ* appellatur. Nomen Latinum *æquitatis* accipitur ſynonymè pro juſtitia, non autem propia, ut vocant, ſive miti juris interpretatione; ſic in pſ. 118. g *In æquitate tua vivifica me.* Ea tamen acceptio *æquitatis* pro moderatione juris, juſtitiæq; congruit acceptioni juſtitiæ pro miſericordia; & in eodem pſalmo petit David *vivificari ſecundum miſericordiam Dei* h, *& in miſericordia illius* i. Hilarius *æquitatem Dei*, interpretatur ita ut innuat merita noſtra præter honorem, & miſericordiam illius, quia æquum ſit, vitam retribuis ſtipendiis ſanctitatis. Videlicet hæc eſt juſtitia, quæ fundatur in divino promiſſo, pactoq; ſimul cum gratiæ dono, ex quo procedunt merita ſecundum ſe condigna, ita ut condignè præmientur à Deo, etiamſi non poſſint cum rigore præmia exigi, ſed ex dicto promiſſo, & pacto. Hoc de vivificatione quatum ad vitam gloriæ, verum eſt; quoniam prima vita gratiæ juſtificantis non redditur, vel confertur, ut præmium meriti condigni, ſed congrui dumtaxat, nempe propter diſpoſitiones priores, cum gratiæ auxilio factas. Vivificati, & viventis juſti vita juſtitiæ, atq; gratiæ, ut vivificetur, ac juſtificetur magis, poteſt acquiri per merita de condigno. Sed non vivit juſtitiæ, ait Greg. niſi qui moritur iniquitati, ſicut quod ſemina vimus, non vivificatur, niſi moriatur prius. Plus quoq; docet eſſe *vivificare in æquitate*, quam *æquitati*, nempe in ipſam æquitatem introduci, ut nil iniquum ſapias, nil impium agas l. Videtur Apollinarius intellexiſſe vivificationem, ſive vitæ collationem conſiſtentis in ipſa æquitate.

g verſ. 40 — h verſ. 88 — i verſ. 149

δὸς μοι δικαίων βιὸν οὐ τρόφ᾿ εἵνεκα σεῖο
Da mihi æquitatem vitæ nutricem propter te.

Porrò *vivificare* non ſolùm eſt, vitam tribuere, verùm etiam perſeverare, ne illa pereat, præterea uſu forenſi efficere, ne quis condemnetur ad mortem. Lyranus, & Trevetus exponunt de vitæ conſervatione, deq; liberatione à periculo mortis, id autem peti, ut fiat in juſtitia juſtè judicando, ac vindicando de hoſtibus. In pſal. 40. k *Dominus conſervet eum, & vivificet eum*, ideſt, conſervet in vita, liberet à periculo mortis: apud Ezechielem l, *vivificantes animas*, dicuntur perſuadentes, nullum eſſe periculum vitæ; quod Lxx, dicunt μετοχῆ: *ſalvare*. Myſticè ſumitur vivificatio de vita gratiæ & gloriæ, ac hujus quidem primum quantum ad corpus, deinde quantum ad animam. Vita demũ hic deſiderata poteſt intelligi Chriſtus qui ſe *vitam* ipſam eſſe, affirmavit, *& reſurrectionem* m, & auctor eſt vitæ gratiæ, & panis vitæ. Petitur autem, concedi vitam hanc, quæ eſt Chriſtus, in ęquitate, tùm ut accipitur pro miſericordia, qua nulla cogitari poteſt major: tùm ut pro exacta juſtitia, quam ille exercuit exactiſſimam, ac iiſdem artibus quodammodo ſalutem reſtituit, quibus ablata fuerat: ſed ſuperabundantius in infinitum.

k pſ. 42 — l cap. 13. 18. 19 — Expoſitio myſtica. — m Joan. 11. 25. cap. 14. 6

Educes de tribulatione animam meam.) Hieronymus nectens, ut prius notavi, tres præcedentis membri dictiones cum præſentibus, *in juſtitia tua educes de anguſtia animam meam*, ideſt, me redactum in anguſtias ſpeluncæ, aliorumve locorum, per quos fugere cogor, ac exulare. Extendi poteſt ad omnem alium juſtum ſententia, & vel prædictio intelligi liberationis perfectæ de omni tribulatione poſt hanc vitam; vel oratio pro hac liberatione nec non & aliqua particulari præſentis vitæ, accipiendo futuri temporis verbum pro imperativo, ſive optativo, ut ſæpe fit; & admonet Euthymius Quum *vita ipſa noſtra tentatio ſit ſuper terram* n, vivi ſine tentatione, ac tribulatione non poteſt. De hujus rei cauſſis, atque utilitatibus, dictum eſt ſæpe. Tres præcipuas aſſignat Auguſtinus differens cum infidelibus o; tùm peccata ſaltem levia; tùm quod juſti non docent ſemper ſceleratos ut debent, non admonent, non objurgant, non corripiunt, ſed malè diſſimulant, vel quum laboris piger, vel eorum os coram verecundantur offendere, vel inimicitias devitant, ne impediant illi, &

n Job 7. 1 — Cauſæ cur ſine tentatione & tribulatione vivi nequeat. — o 1. de civ. cap. 9

noceant in iſtis temporalibus rebus, ſive quas adipiſci adhuc appetit eorum cupiditas: ſive quas amittere formidat infirmitas: tum ut quemadmodum afflictus eſt Job, ſibi ipſe humanus animus ſit probatus, & cognitus quanta virtute pietatis gratis Deum diligat. *Eſt Deus cum juſtis in tribulatione* a, ipſaque præſentia ſua cenſetur educere ipſos de illa, propter conſolationem per modum *venti in medio fornacis* b: ita ut *in omni tribulatione non tribulentur, quia Angelus faciei ejus ſalvat eos in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redimit eos, & portat eos, & elevat eos cunctis diebus ſæculi* c: quem locum Hieronymus, ut nunc extat, & recitatus eſt, de Deo uti vere eſt, exponit, quod non ſit tribulatus, ut parumper eos desereret, & nudatos auxilio cogeret ad rogandum. Sed aliter legens abſque negatione declarat, quod ſit tribulatus, ideſt, eamdem veluti paſſus tribulationem, & compaſſus tamquam populo, & filiis ſuis. Poſtremo juxta lectionem aliam: *non tribulavit eos*: declarat, quoniam ceteris perſequentibus adjutor fuit, miſitque Angelum ſuum, qui eos de periculo liberaret. Addit & ſecundùm translationem LXX. *& factus eis in ſalutem ex omni tribulatione eorum: non legatus, neque Angelus*: ſed *ipſe ſalvavit eos: quod diligeret illos, & parceret eis; ipſe redemit eos & ſuſcepit illos, & exaltavit omnibus ſæculi*; ſenſum eſſe quod non per Angelos, & Prophetas, & alios ſanctos viros ſalvare noluit populũ ſuum: verum ipſe deſcendit ad oves perditas domus Iſrael, ut ovem morbidã ſuis humeris reportaret & drachmas, quæ perierat, inveniret, & luxurioſo filio revertendi lætus occurreret d: denique *oſcularetur oſculis oris ſui* e; corpus noſtrum aſſumeret, in noſtra carne verſaretur, Verbum caro fieret, & eſſet Emmanuel. Hic optimus modus educendi nos, & animas noſtras de maxima tribulatione. Gregorius, nullam, ait eſſe majorem tribulationem, moleſtiam, afflictionem, quam conſcientiam delictorum; in ſolo Deo vero eſſe conſolationem, qui ab ea eripiat, in hujus maris magni, & ſpatioſi naufragio Dei amplectendam ſapientiam, cujus gubernemur præſidio, regimine deducamur: & velut *lignum vitæ* f *illam apprehendamus*, ac lignum ſalutis in pelago procelloſæ tempeſtatis, per quod poſſimus & à periculo horrendæ mortis eripi, & de tribulatione diabolicarum tentationum educi. Ceterum perfectam iſtam liberationem, & eductionem Innocentius futuram aſſerit, quando *educetur de carcere*, ſive *de cuſtodia anima noſtra* g, & *infelices nos liberabimur de corpore mortis hujus* h. Interim tribulatio purgat nos, nos peccatorum venenum expellendo, & pœnæ debitum ſolvendo. Adhibet Ayguanus exemplum fulminis, quod, teſte Alberto i, ab animalibus venenoſis venenum abigit; ſed ſimul cum vita, quum Deus vivificet animam juſti per tribulationem, *diſperdens inimicos eius, ac perdens omnes, qui tribulant animam illius*, prout in ſequentibus continetur. Agendæ ſummæ gratiæ Deo pro præſentis tribulationis diſciplina. Hoc eſt *apprehendere diſciplinam* k: & ut alii transferunt, *oſculari Filium, & adorare pure*, Paludanus citatus à Pepino explicat de Chriſto, quaſi oret, educi de inferno animam ſuam, non quod ibi tribulationem paſſa ſit, ſed quia locus erat, in quo aliæ animæ tribulabantur; videlicet quoniam neceſſario detinebantur, & Dei carebant viſione: per *diſperdendos* autem *inimicos*, intelligit dæmones, cuſtodes ſepulchri Judæos; quoniam *princips mundi cum ſuis eiectus eſt foras* l; ne poſſideat idola, ne obſideat homines; Judæos Romani diſperdiderunt, ac diſperſerunt: Judas *crepuit medius* m; *exterriti* ſepulchri *cuſtodes, factique veluti mortui* n. Idem Pepinus applicat ſententiam, & orationem ad quoslibet juſtos, qui erant in limbo privati Dei viſione, & iis videbantur, inquit, dæmones inſultare, quod fruſtra liberatorem Chriſtum expectarent. Præterea eadem oratione utentem, inducit peccatorem cupientem a peccato liberari: juſtum deſiderantem eripi à multiplici miſeria, & tentatione; exiſtentem in purgatorio, geſtientem ingredi ad viſionem Dei, & erui ab igne, ac à detentione illius carceris. Cavendus porro hic idem error, quem in ſimili ſententia pſalmi præcedentis o, *educ de cuſtodia animam*, refellimus, quod anima immiſſa ſit, quum prius extitiſſet, ac peccaviſſet in corpus tamquam in carcerem, & locum ſupplicii, atque tribulationis. Quum nondum nati, fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, Deus *Eſau odio habuit, & Jacob dilexit* p. Non ergo juſtorum animæ prius erant, vel prius quidquam egerant; Eadem vero ratio de aliis quibuſcumque.

a Pſ. 90.15. b Dan. 3.50. c Eſa. 63.9. d Luc. 15.20. e Cant. 2.1. Conſcientia delictorum tribulatio maxima. f Prov. 3.18. g Pſ. 141.1. h Rom. 7.24. i in 3. meteor. k Pſ. 2.12. l Joan. 12.30. m Act. 1.18. n Matt. 28. Error aſſerentium animas prius exiſtere quam corpora, refellitur. o verſ. ult. p Rom. 9.11. 12.13.

Verſ. 12.) Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego ſervus tuus ſum.

Vivificatio, ſive vitæ conſervatio, & à morte præſervatio, atq; à tribulatione liberatio perfecta non poteſt conſiſtere, niſi hoſtes, ac perſecutores miſericordia ſua ſingulari erga illum, quem talibus beneficiis dignetur Deus afficere, penitus perdat, & conſumat. Hoc autem certo ſibi pollicetur, quoniam ſervus Dei ſit, ejuſq; cultui, ac religioni totus addictus: illi autem hac ipſa de cauſſa ipſum odio proſequantur, & quantum poſſunt, perſequantur, averſantes, & execrantes omne obſequium, quod adhibeatur Deo. Itaq; ſervitutem ſuam erga Deum commemorat David, ut rationem, cur exaudiri debeat, quemadmodum fecerat ſub initium pſalmi q; quoniam deceat Deum ſervi ſui curam, & providentiam habere: vel quoniam tantæ perſecutionis in ſe commotæ cauſa ſit impietas hominum, cui odio ſit Deus ipſe, & quotquot ſe ſtudioſos ipſius cultores profitentur. Primum pluribus placet, ut ſuammet virtutem proferat Propheta, tamquam cauſſã, cur exaudiri poſcat. Neque enim, ait Chryſoſt. poſſumus purè, & abſolutè noſtra poſtulata conſequi; ſed oportet nos ita præparare, ut ſimus digni, qui poſtulata conſequamur, & quæ noſtra ſunt conferre, & ita accedere. Id autem confirmat, quia Judæi non exaudiebantur, etiamſi multiplicarent orationes r; nec exaudiebatur pro illis Jeremias ſ: nec erat exaudiendi pro iiſdem Noe, & Jacob t. At juſtum eſt, inquit Gregorius, ut bonus ſervus à bono Domino adiuvetur, contra hoſtiles muniatur incurſus, à periculo liberetur. Exponit autem effectum iſtius ſive orationis, ſive prædictionis, in felicitate illi futurum, in qua nullum habebimus adverſarium, nullum metuemus inimicum; nulla eris diabolicæ fraudis impugnatio, nullum hæreticæ pravitatis dogma, nulla infidelis populi impietas. Arnobius, Caſſiodorus, Innocentius, Hugo, Folengius videntur ſequi alterum ſenſum, quo ſignificantur improbi animam juſti tribulare, quia ſervit Deo. Senſu literali ſucceſſit, quod oravit, & prædixit David, quoniam perierunt inimici, ac perſecutores illius, Saul, Achitophel, Abſalon, Seba: ſecundum allegoriam idem contigit Chriſti inimicis, & perſecutoribus *viditque ultionem ex eis* u, nimirum ex Juda, Herode, Pilato, ſummis Sacerdotibus, aliis Judæis. *Facit* præterea *Deus vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte* x, *ſanguinem filiorum ſuorum ulciſcitur, & vindictam retribuit in hoſtes eorum* y; *facit judicium inopis, & vindictam pauperum* z. Noti nimium capitales inimici, mundus, caro, dæmon; ſollicitantes ad avaritiam, luxuriam, ſuperbiam: ipſæ quoquæ quotidianæ corporis neceſſitates variis nos modis premunt, vexantque: ſuper omnes autem ipſamet peccata, de quibus Bruno exponit, ut etiam inimicos tribulantes animam, pravas ſuggeſtiones, & malignos homines, qui volunt ad peccata inducere.

Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. (Hieron. *diſſipabis* Alii, *& propter miſericordiam tuam, diſperdas, diſſipet, conficias, ſubvertas hoſtes meos odientes me*, &c. ſignificat תשמית *thaſmith excidere*, ſive *ſuccidere facies*, aut *conſtringere, & quidem in carcere*: item *cõſumere, tabeſcere, perſequi, interficere*, ut nos docuerunt priorum pſalmorum loci non pauci. Propter miſericordiæ mentionem Caſſiod. explicat, *diſperdi inimicos*, quando compunctionis ſtudio ab ſceleratis cogitationibus abſtrahuntur, & pœnas debitas remedio ſupplicationis evadunt. Innocentius idem docet, ut fiãt de inimicis amici, vertatq; impios Deus, & non ſint a. Rickelius præterea conſentit, ut convertat Deus illos, & deſtruat in eis non naturam, ſed culpam. Quo pacto prædictionem de Ninive ſubvertenda b, impletã dicunt, quia eſt converſa. Adhuc miſericordiam attendit reſpectu eorumdem, ſi forte damnentur, ut puniantur citra condignum. Sed alius communior, & melior ſenſus, quem idem Auctor etiam tradit, ut miſericordia ſpectet ad eum, cujus inimici diſperdantur; & quod ait Chryſoſtomus non ſuam dignitatem, vel merita Propheta producat, ſed clementiam, & benignitatem Dei. Poſſent ut ſynonyma ſumi *miſericordia, & æquitas* præcedentis verſus: quemadmodum in principio pſalmi *veritas, & juſtitia*: quæ duo Dei attributa ſæpe numero conjungi præſertim in pſalmis annotavimus. Tunc inimicos

Senſus loci. q verſ. 1. r Eſa. 1.15. ſ cap. 7.16. t Ezech. 14.14. Allegoria. u Jer. 11.20. x Luc. 18.8. y Deut. 32.43. z Pſ. 139.13. a Prov. 12.7. Quo pacto prædictio de Ninive ſubverteda intelligatur eſſe completa. b Jon. 3.4.

cos noſtros clementia divina diſperdit, inquit Gregor. quum eis vires nocendi adimit: quum adverſus jacula tentationis diabolicæ ſcutum opponit ſuæ protectionis. Quaſi enim confuſi abſcedunt, quum ſe ad prævalendum potentes agnoſcunt.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam.) Hieronymus, *omnes ligantes animam meã*: quamvis Trevetus legat; *omnes tribulantes*. Alii, *hoſtes animæ meæ; qui contriſtant*, vel *affligunt animam meam, anguſtatores animæ meæ*. Omnia ſignificari poſſunt per צררי נפשי *torere naphſci*. Qui deſperdendos inimicos accipiebant in bono ſenſu Caſſiodorus & Innocentius perdendos hic in deteriorem partem ſumunt, videlicet obſtinatos, & reprobos tum homines, tum dæmones. Non leves ſibi eſſe inimicos Propheta demonſtrat, inquit Hilarius: ſed eos qui etiam animam perſequantur: non quod cum corpore poſſit occidi, ſed quod ita diabolicis infeſtationibus fatigetur, & ſub injectorum ſibi vitiorum incentivis arguatur, ut à Deo mereatur occidi. Hac ratione intelligere poſſumus, mortale peccatum dici non tantum, quia eripit animæ vitam gratiæ, & ream facit mortis æternæ, ſed etiam quia dignam reddit, quam Deus occidat, ideſt, in nihilum redigat. Quod non facit Deus, ut permanenti ſupplicii experientia in immortali anima, extet ſemper præſens perpetuumque divinę juſtitiæ documentum. Humanus judex capitali ſententia damnans privat, quantum in ſe eſt, in perpetuum vita, & ſi poſſet animam ipſam extinguere, id etiam faceret, contentus ea pœna mortis, ſive anima cum corpore intereat, ſive non intereat, ut vera non interit.

Quoniam ego ſervus tuus ſum.) Injuria ſervi, Domini eſt: injuria afficior non ſolum ego, qui ſervus tuus, ſed & propterea quia talis ſum. De duplici hoc ſenſu antea egimus. Non aliunde inimicos habemus, ait, juxta ſecundũ Arnob. nec pro quibuſcumq; terrenis adverſarios, ſed ideo inimicitiis dæmonum, aut hominum laboramus, quoniam ſervi eſſe Domini ſtudemus. Caſſiodor. docet, quod ideo David, aliuſve, cujus is perſonam induat, dicit inimicos tribulaſſe animam ſuam, quia ipſe in Dei ſervitio permanebat, & tales animos aſſumſiſſe, ut innocentes viros ideo perſequerentur, quia Dei famulos eſſe cognoſcebant. Eſt & hoc grave peccatum, inquit Innocentius, propterea perſequi aliquem, quoniam ſervit Deo. Huc procedit aliquando plane diabolica quorumdam hominum malitia, ut bellum indicant ipſimet pietati, quam probe cognoſcunt, & ex animi certa deſtinatione adverſentur Deo, ac ſervis, & cultoribus ejus; his vero maxime, ac immediate, quia fruſtra niti ſe ſciunt adverſus Deum. Tritum pantheræ à Baſilio a, traditum exemplum, quæ naturalem habet adverſus hominem iram, & ſolet vel maxime in oculos inſilire: capitur autem oſtentando illi hominis imaginem in charta, quoniam illa nimio impetu autumans eſſe hominem, chartam veluti hominem concerpit; ad eumdem enim modum dæmonem in imagine quo ſit in Deum odio oſtendere, quum ipſum Deum attingere nequeat. Delectatur hoc ſervi Dei elogio David, ſæpiuſque id repetit, ut vidimus, intelligens de ſervitute fundata non *timore*, ac *ſpiritu ſervitutis, ſed in ſpiritu adoptionis filiorum Dei* b atque *in timore ſancto, qui permanet in ſæculum ſæculi* c, & qui convenit ſervo, cui dicitur, *euge* d, *ſerve bone & fidelis, intra gaudium Domini tui*. Servitus peccati, & dæmonis mala eſt; hominis, indifferens, legis imperfecta; Dei partim imperfecta, partim perfecta. Titulis multis addicti, & devincti ſumus Dei ſervituti, præſertim creationis, & gubernationis, redemptionis, & conventionis, retributionis, ac mercedis æternę. Digna Gregorii oratio hìc ab ipſo in fine recitata & appoſita, quam & ipſi recitemus & apponamus, quum contineat ſummam Pſalmi totius.

Bone Jeſu, Verbum Patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere; *doce me facere voluntatem tuam*, ut à Spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem; ubi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritui, ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix ſuavitas, & ſuavis jucunditas, ubi tu Deus cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

Peccatum cur dicatur mortale. a orat. 10 de invidia, & odio. Diaboli cũ panthera collatio. b Rom. 8.15. c Pſ. 18.10. d Matt. 25.21, 23. Gregorii oratio in fine hujus pſ. recitata.

PSALMUS

CENTESIMUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

Pſalmus David.

1. Adverſus Goliath.
Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.
2. Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus.
Protector meus, & in ipſo ſperavi: qui ſubdit populum meum ſub me.
3. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?
4. Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt.
5. Domine, inclina celos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.
6. Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.
7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum,
8. Quorum os loquutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.
9. Deus, canticum novum cantabo tibi: in Pſalterio, dechachordo pſallam tibi.
10. Qui das ſalutem Regibus, qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno. 11. eripe me,
Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.
12. Quorum filii, ſicut novellæ plantationes in juventute ſua.
Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.
13. Promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.
Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: 14 boves eorum craſſæ.
Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.
15. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Titulus & Argumentum.

Pſalmus David.

Verſ. 1.) Adveſus Goliath.
Benedictus Dominus, &c.

In textu Hebræo ſolum erat לדוד *le David*. *Davidis*, ſeu *Davidi*, ſeu *ipſi Davidi*, ut legit Auguſt. cum Græco textu, τῷ Δαυὶδ, abſq; nomine *Pſalmi*, vel *Goliath*. Teſtatur vero Theodor. inveniſſe ſe quidem in aliquibus exemplaribus inſcriptioni additum πρὸς τὸν Γολιάθ, *ad Goliath*; quo pacto nunc etiam extat in Bibliis Complutenſibus, Regiis, & aliis, ſicque Latinè legitur ab Auguſtino, Remigio, vetere Pſalterio, quod in aliis Pſalteriis Latinis, ac in multis Enarratoribus, *ad Goliam*, ſeu *Goliath*: ab Hilario autem, *in Goliam*. Sed neque apud Hebræum, neque apud alios Interpretes, neque apud LXX. in hexaplo. Euthymius præterea ſcri-

Titulus.